FILII MARIÆ

Residentiæ eorumque Mohiloviensis Societatis IESU anno 1705

Obligatio

in gratiam eorum,
qui se Beatissimæ
Virgini in aliqua e-
ius Sodalitate dicâ-
runt, compendio
descripta
à P. IOANNE BRI-
CTIO Soc: IESU.

VILNÆ *typis Academicis* Soc: IESV.
Anno 1697.

Facultas Reverendi Patris Provincialis.

CUm Liber, titulo Filii MARIÆ à R. P. IOANNE BRICTIO Societátis IESU conſcriptus, & à Reviſoribus approbatus ſit, poteſtate mihi factâ ab Admodum Reverendo Patre Noſtro THYRSO GONZALEZ Præpoſito Generali Societatis noſtræ concedo, ut typis evulgetur. In cujus rei fidem has manu propriâ ſubſcriptas, ac ſigillo officii munitas dedi Pultoviæ 11. Iulii, anno 1696.

FRANCISCVS KVCEWICZ Soc: IESV Præpoſitus Provincialis per Provinciam Litvaniæ.

Liber, titulo Filii MARIÆ ab Admodum R. P. IOANNE BRICTIO Soc: IESU conſcriptus, ut poſſit imprimi, Authoritate Officii Conſiſtorialis Vilnenſis Facultas datur. Vilnæ die 30. Iulii anno 1696.

ALEXANDER HORAIN Sacræ Theol: Doctor Cuſtos Prælatus Cathedralis Auditor Cauſarum & Iudex Conſiſtorii Vilnenſis

Perillustri ac Reverendissimo Dño Dño GEORGIO ALOYSIO Decano, Prælato, Vicario Generali, Officiali Livoniæ & Curoniæ, Proto-Notario Apostolico, Canonico Smolenscensi, Præposito Mittaviensi, Secretario S. R. M. &c. &c.

Perillustribus ac Magnificis Dominis

Dño VOLTERO STANISLAO

Iudici Terrestri ac Capturali Livoniæ.

Dño SAMUELI PETRO

Ensifero Smolenscensi.

Dño GOTTHARDO XAVERIO

Incisori Livoniæ.

De Wischlingk

SIBERGIIS

Dominis Dominis, Patronis, ac Fundatoribus.

AD hospitalem ædem cum Filius MARIÆ pergens, Lauretum in Vestris liminibus reperio Perillustres

ſtres Domini. *Mobile ergo illud Virginis Matris palatium, quod olim è Palæſtina per Dalmatiam peregrinum, dein in Latio ſede fixâ totum ad ſe peregrinum traxit orbem, iteratâ tranſlatione domi Veſtræ conſederit? Vereor orbi toti fidem abrogare triumphale illud MARIÆ ſacrarium adhuc inter Italas lauros oſtentanti, unde nec Virginalis domicilii ad Veſtras ædes tranſitum renovatum eſſe dicere queo: Veſtram duntaxat Domum meliore prodigio tranſiiſſe dico in Virginis Domum, in qua pia Mater toties hoſpitetur, quoties Filii MARIÆ fiunt inquilini. Aſylum illa domus eſt communi Orbis neceſſitati: eſſe & Veſtram tot impreſſa ſanctiorum exulum clamant veſtigia, qui extorres pro fide è Svecia, Norvegia, Daniæq; finibus, quaſi novi à Danais fugati inſontes Teucri Latium Domi Veſtræ repererunt, ubi ſecuri laterent: dicere debui: qui relictâ ſindone nudi, id eſt bonis ſuis pro Chriſto ſpoliati, apud Vos Maternam MARIÆ domum novi Ioannes repererunt*

runt

runt. Felices exules, qui dum iniquam fortunam fugerent, in meliorem apud Vos inciderunt. Fortunam generis humani MARIAM Patres appellant; hanc apud Vos ſtabilem fixiſſe ſedem cumprimis ſibi perſvadent MARIANI habentes ſignum in bonum è Gentilitiis Rotis Veſtris, quas quietas in avito ſtemmate ſuſpendiſtis. Clemens Alex. apud Creſſolium lib: 4. myſtag. cap: 2. ſect: 2. teſtatum reliquit rotam bono publico in ſacris ædibus olim fuiſſe dedicari ſolitam: quorſum hoc, non quæro: Veſtris in ſacris ædibus ſanctior Fortuna inſigne hoc poſuit publico bono, ſingulariter tamen eorum, qui avitâ ſphæra Veſtra provehentur in melius. Sanè quoties ego hactenus Perilluſtrem in Domum Veſtram intendi aciem, Zodiacum inibi ſuſpexi, in quo tot ſoles, quot cognatas Domui Veſtræ jam inde à temporibus Caroli Magni, ſub quo floruiſtis, habetis Familias Illuſtriſſimas, quid quippe aliud ſunt S. R. I. Principes Furſtembergii Veſtræ cognati Proſapiæ? quid Galenorum, Rekiorum

rum, Pletenbergiorum in Germania: quid Wolffiorum, Platerorum, Korffiorum, Behrorum, Fittingorum, Firksorum, Budbercorum, Bokumorum in Livonia? quid Zawadzciorum, Weierorum, Kossiorum, Działynsciorum in Prussia? quid in Samogitia Bielikowiciorum, Stankiewiciorum, Grothuzorum, Szwerinorum, cum quib9 in Richarde nupta Alberto II. & coronata Sveciæ Regina sedistis in Regali solio? quid Pacciorum, Naruszewiciorum, Sanguszkarum, Tysenhausiorum, Donhoffiorum, Rajecciorum, Brzostowsciorum, Duninorum, Komorowsciorum, Wierzbowsciorum, Lubomirsciorum, Krosinsciorum, aliorumq; sexcentorum in Regno Poloniæ ac M. D. L? quid inquam horum omnium Illustrissimæ Familiæ, nisi tot sidera in gentilitio Zodiaco Vestro concentrata, quibuscum mutua luce orbem illustraretis. Verùm cùm tot undiq; Domi Vestræ Marianos video inquilinos, cælo nobilior mihi sphæra Vestra est, siquidem hanc ipsam Vobis invideat cælum, utpote

quod

quòd meliorem Filio MARIÆ nunquam habuit hospitem. Quare & ego audax in Vestras ædes Filios induco Virginis, fretus non excludendos è penetralibus, quibus pridem corda parâstis: melius illi nusquam hospitari poterant, quàm in domo Liberæ, quæ postquam semel suave Christi jugum sibi imposuerat, semper heterodoxum ignoravit servitium, ut vel ex eo discant futura sæcula Virginem semper esse Domum Vestram, quæ ne quidem in communi totius Livoniæ defectione contaminata est. Scilicet debebat hæresis, quasi cum Philippo de vitandis quadrigis oraculum accepisset, Gentilitias Vestras vitare Rotas, easq; quasi ad supplicium sibi erectæ essent fugere & perhorrescere: debebat Filio Liberæ Ancillæ Domini datura locum, ubi caput reclinet, domus, non esse è numero earum, in quibus Acatholicæ vulpes foveas habent. Suscipite hospitem Marianum, imò Vestræ jam Domus incolam, incolatum enim ei dedistis, cùm in templo Illuxtano fundatæ à Vobis Residentiæ Societatis Nostræ, duplex

plex

plex Sodalitium Virginis, unum quidem Civium honori Virginis devotorum, aliud Palladiæ Iuventutis ſuſcepiſtis. Admittite hoſpitem in Domum Veſtram, & ſic priſtinam, quam a D. Meinardo Loci Apoſtolo Livonia Veſtra habuit, Terræ Virginis appellationem, etiam vosmet comprobate ex eo, quòd Domi Veſtræ, ſacram Virginis ædem habetis. Subſtituite vicarium Filio MARIÆ, in quo recumbat ſinum; nihil ambigo, quin Divinus hic hoſpes ut primum calcaverit limen, Domum Veſtram, domum Virtuti, famæ, æternitati conſecrabit: ita vovet. Vilnæ anno 1697. die 8. Ianuarii

Devotiſſimus Perilluſtri Domui Veſtræ ſervus.
IOANNES BRICTIUS Soc: IESU.

PROOEMIUM.

Exponitur qualitas Filiorum MARIÆ, de quibus hoc opusculo agetur.

MAtrem Filiorum cùm voco MARIAM, nolim putes me fœtidos illos Helvidii manes è ſtyge evocare velle, qui de pluribus naturalibus filiis B. V. ſomniabat, quem præter Athan. *orat. de cenſu* Ildephon. *de perp. Virg.* Hieron. *lib. cont. Helvid.* tota pridem damnavit Eccleſia. Sed nec cum iis mihi res eſt, quos S Epiph. *hær.* 78. & Aug. *lib. de hær. c.* 56. docuiſſe ait, Portam hanc vitæ poſt Chriſti partum apertam eſſe, B. V. à viro cognitam illos peperiſſe, quos codex Evangelicus vocat fratres Domini; nec enim neſcio pridem & hanc hæreſim ab Eccleſia anathemati ſubjectam eſſe, & ita antiqvatam, ut non niſi paucis in Catholicorum libris manſerit obſoletum Antidicomaritarum nomen. De grege illo ſum, qui de perpetua MARIÆ Virginitate illud Ezech. 44. accipiunt: *Porta hæc clauſa erit, & non aperietur, & vir non tranſibit per eam: quoniam Dominus Deus Iſraël ingreſſus eſt per eam*; ideoq; approbo illud Bern. hom: 2. ſuper Miſſus eſt.

Deum hujusmodi decebat Nativitas, quæ non nisi de Virgine nasceretur; talis congruebat & Virgini partus, ut non pareret, nisi Deum. Mysticam igitur, cum mystica prole, matrem intelligo, eam de qua Richardus à S. Laur. lib. 1. de laud. Virg cap. 6. *quæ licèt non nisi unicum filium carnalem genuerit, in eo tamen spiritualis Mater effecta est magnæ multitudinis filiorum, quorum Christus primogenitus est.* Et Gvilielmus Abbas: in sigillo: *Vnicus,* inquit, *fateor ejus fructus est IESVS, sed in uno illo multiplex fructus, in uno Salvatore omnium IESV, multos MARIA peperit ad salutem, pariendo vitam, multos ad vitam peperit, eo ipso quòd Mater est capitis, ejus membrorum Mater est:* aut ut loqvitur D. Ambr. si Christus est credentium Pater, cur non ipsa, quæ genuit Christum, credentium sit Mater. Et sanè Mater MARIA est, non ejus modò, qui ab ea salvo Virginis utero prodiit Filius dexteræ & gaudii, sed eorum etiam, qui transfixo Virginis corde, filii doloris ab ea geniti sunt sub cruce; quos si filios cordis Mariani vocavero, non errabo, sciens quòd hoc sit tempus natalis eorum, quo transfixum gladio passionis cor MARIÆ, dolores pertulit quasi prægnantis.

Sanctium ab Arca hujus nominis tertium Regem Navarræ ferunt dictum filium vulne-

ris, quia cùm Mater ejus gravidâ ab hoste *lancea* transfixa esset, infans per vulnus ex utero manum porrexit, & per apertum Matris suæ latus eductus est. Testatur Carthagena *de arc. 5. vulnerum* & Mariana *de rebus Hisp.* Filios vulneris, & cordis, imò, ut accommodatiùs scripturæ loquar dicenti, quia ejus animam pertransivit gladius, filios animæ suæ tot habet MARIA, quot se ad illam referunt.

Lazarum filium lachrymarum Magdalenæ, aut potiùs lachrymarum Christi ipsius solent vocare ascetæ, quòd lachrymæ Magdalenæ dolentis, & Christi amantis eum revocârint ad vitam. filios cordis Mariani dolentis super dolorem mulierum, & amantis usq; ad excessum, quidni vocem eos, qui ad meliorem vitam eo temporis articulo geniti sunt, quo Salvatori morienti condolens tota natura quasi commortua est? Beatam talem nativitatem! & beatos tali Matre filios, quâ meliorem, nec si daretur eligendi optio, eligere possent! vellem dicere, etiam beatam talibus filiis Matrem, si mihi illud persuadere possem, etiam Matrem, si daretur optio eligendi, meliores filios eligere non posse.

Illud Isai. 30. *Gloria Libani data est ei* explicans Lyranus, dicit idem significare, quod dealbationem, vel filiationem cordis: mira hæc interpretis hujus explicatio, accipientis pro eodem gloriam Libani, & dealbationem ac filiatio-

nem cordis; quod tamen mysterium dum pleniùs considero, hanc facilè inter alias primam MARIÆ gloriam fateri debeo, quod in monte Calvariæ(*Libani nomine à Patribus intelligitur mons Calvariæ*, imò teste Del-Rio in Cant. c. 4. ver. 5. *ipse textus Hebræus & Græcus illud de Calvariæ monte accipi solitum:* Vadam ad montem myrrhæ & collem thuris, legit, vadam ad collem Libani)hanc inquam primam dixero MARIÆ gloriam, quòd in monte Calvariæ filios nacta sit cordis sui, qui cùm dealbaverint stolas suas in sangvine Agni, facti sunt decus Matris suæ: verè enim ineffabilis honor est Matris, filius innocens, & plenus Deo: cuius cùm virtutes vident, omnes cæli benedicunt Matrem, dicentes: quod de Matre Sanctorum juvenum Eusebii & Chromatii ait S. Hieron. ep. 43. *Verè venter, aureus qui tales vos genuit*; aut quod mulier evangelica; *Beatus venter, qui te portavit.* Luc. 11.

Hanc gloriam ut Matri suæ copiosiorem adferre possint Filii MARIÆ, præsens opusculum scribere placuit, posita ob oculos sorte filiorum, ac obligatione eorundem, quatenus agnitâ sorte suâ ita vitam instituere possint, ut non pudefaciant matrem, degenerantes à præcelsis cogitationibus filiorum. Porrò S. Aug. *lib. cont. Adimant. cap. 5.* tribus modis in scriptura nomen filiorum accipi docet, scilicet secundùm

ſecundùm naturam, ſecundùm doctrinam, ac ſecundùm imitationem. Ad eum hujus Sancti Patris modum filiationem dividam, additis, quæ cuiq; uſui eſſe poſſunt, ut faciat Matrem filiorum magis lætantem. Agite Filii MARIÆ, ac ita utamini tenui hâc opellâ meâ, ut pro me peccatore apud Matrem veſtram intercedatis, qui ſibi vobiſq; illud, quod de Eccleſia dicit S. Cyprianus, *lib. de unit. Eccl.* de Matre veſtra intelligendum, & ob oculos jugiter habendum proponit: *Non habebit Deum Patrem, qui non habuerit* MARIAM *Matrem.*

PARS PRIMA.

De Filiatione per naturam.

S. Thom. de Villa nova, conc. pro S. Ioanne, & Salmeron tom: 10. tract. 41. ajunt quosdam sciolos, sanæ etiam fidei, sed non sanæ mentis repertos esse, qui freti cerebello suo defendendum susceperunt B. Ioannem Evangelistam verè secundùm naturam esse secundo-genitum MARIÆ: hunc ajebant novo prodigio sine Patre, imò sine partu verè Mater hæc genuit, quando moriens Dominus in verbis illis, ecce filius tuus, hæc operatus est in Virgine quoad naturalem generationem Filii, quæ quotidie in altari operatur in verbis consecrationis quoad transubstantiationem Panis & vini. Temerariæ horum sciolorum opinioni non accedo, sciens, quòd justè censoriâ apud probos omnes vapulet virgâ, meritò providentes, quodsi semel concesseris ejusmodi mysterium latere in verbis Domini, ausuros plura sciolos, verosq; Deos, Elias, vulpes, viperas, ipsos imò sathanas fuisse, quos Christus tali agnomine appellavit. De filiis tamen per naturam hìc ago idq; pluri-

bus, non quidem, quos caro & sangvis tales esse voluit, sed in quibus hoc est gratia adoptionis, quod in aliis natura; de qua filiatione agens S Bernardinus Senensis, in cap. 13. Ioan. ait: *In Ioanne, electorum per dilectionem B. V. facta est Mater, mutatur hic Maternitas & filiatio ex authoritate verborum Christi in Cruce pendentis, propterea natura transit in gratiam, & gratia nobilitat naturam, non quod una in alteram commutetur, sed quia natura ex gratia perficitur.* Quam quidem filiationem ut explicem enucleatiùs, dicenda bifariam divido, agoq; in prima sectione de iis, quæ felicitatem talis adoptivi, in altera quæ obligationem concernunt.

SECTIO PRIMA.

Felicitas Filiorum MARIÆ, orta ex adoptione eorundem.

Filiatio hæc equidem tantùm legalis est, & adoptiva, ea tamen adoptato Mariano præstat, quæ filiatio naturalis, imò plura longè, cùm plura & nobiliora sint, quæ derivantur à gratia, quàm quæ à natura: nam ab hac quidem, vita participatur, sed ea oppidò misera, veriùsq; mors quàm vita; ab illa autem, præterquam

quòd

quòd vita participetur, talis participatur, quæ jus sibi vendicat vivendi perpetuò: hanc, loquor cum Bernardino Sen. ubi suprà, *mala mulier Eva de corruptione naturæ per traducem naturæ; illam bona mulier MARIA Mater gratiæ per infusionem invisibilis gratiæ confert filiis suis*, facta Mater omnium ad vitam renascentium, Mater vitæ, quâ universi vivunt, non sicut Eva, quæ ut Gverricus Abbas serm. 1. in Assumpt: ait, *filiis ante propinavit præjudicium mortis, quàm initium lucis, dicta quidem & ipsa mater cunctorum viventium, sed inventa veriùs interemptrix viventium, seu genitrix morientium, cùm filium generare, nihil aliud apud eam sit, quàm mortem ingenerare.*

Sanè quoties ego sortem talis filii Mariani considero, parùm abest, quin eam naturali conferam generationi, maximè cùm sciam, quid sibi velit illud Origenis, præfat. in Ioan. *Christus, inquit, Mulier ecce filius tuus, perinde est, ac si dixisset: Ecce hic est IESVS, quem genuisti, nam quisquis perfectus est, ampliùs non vivit ipse, sed in ipso vivit Christus, cùmque in eo vivat Christus, dicitur de eo MARIÆ: Ecce filius tuus.* Seclusâ tamen generatione Christi, quam enarrare nemo sufficit, si secundùm se considerem ipsam filiationem adoptivam, pluris à me æstima-

tur

tur, quàm ea, quæ ortum habet ex natura & sangvine: tum quod nobilior ejus origo sit, nascitur enim ex amore, tum quòd magis sit voluntaria, & cùm unicæ innitatur gratiæ, uni illi solùm obligata sit: hinc est, quod in generatione naturali filius amatur, quia filius est, in adoptione autem ideo est filius, quia amatur. Advertit hoc S. Ambr. ep. ad Sisinium, inquiens: *Aut naturâ filios suscipimus, aut electione, in natura casus est, in electione judicium*, quasi diceret, quantùm iudicia præcedunt casum, tantùm adoptivus præcedit naturalem.

In Græco, ait S. Bernardinus Sen. tom. 1. serm. 55. a. 1. c. 3. *filius nomen amoris est*, quod quidem in naturali generatione fallere potest, cùm, si daretur optio, non unus se parentem, aut filium esse filium nollet: in adoptivis autem fallere nunquam potest, hi enim sunt filii dilectionis, filii amoris, & liberæ voluntatis, in quo novam quandam cum Christo habent similitudinem, sicut enim Christus, qui ut Deus necessariò productus est per intellectum à Patre, & ut homo per liberam voluntatem in tempore: sic ii, qui per liberam voluntatem in filios adoptionis suscepti sunt, prævio quodam partu iudicii generantur. Advertit hoc Cassiodorus inquiens: *In sobole frequenter fallimur, ignavi autem esse nesciunt, quos iudicia pepererunt*. quasi diceret, necesse prius est esse filios

os judicii, quos libera voluntas assumit in suos, hinc & ipse Deus eos adoptat, quos præscivit & prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui.

Vides igitur, quantus sit Filius MARIÆ, qui Filium Dei per naturam quodammodo refert. Adde quòd sicut filiatio Dei, Christo confert jus ad omnia, quæ sunt Dei, sic filiatio adoptivi Mariani confert jus ad hæreditatem MARIÆ, quæ hæreditas cùm fundata sit in plenitudine gratiæ; cùm confertur filio, confertur natura Dei, gratia enim quasi quædam participatio naturæ Divinæ est, unde etiam filius iste elevatur ad actiones quasi theandricas, cùm opera ejus per gratiam elevantur ad statum supernaturalem.

Deniq; quod de eo, quem ipse Deus adscivit in filium dicit S. Leo serm. 6. de Nat. hoc servatâ proportione bene possum dicere de eo, quem pia hæc Mater elegit: *Omnia dona excedit hoc donum, ut Deus hominem vocet filium, & homo Deum nominet Patrem*; quid enim oro excellentiùs, imò quid optabiliùs esse, aut cogitari potest, quàm quòd dicere ex vero possis MARIÆ: est mea Mater; & MARIA iterum tibi: Hic est Filius meus dilectus. Certè sicut nec Deus majora facere potuit Virgini, quàm quod eam in Matrem elegerit, sic nec illa tibi, quàm quod te eligat in Filium. Clariùs hæc per sequentia elucescent. CA.

CAPUT Imum.

Quem MARIA eligit in Filium, frater Christi est, ejusq; bonorum particeps.

S. Anselmus explicans illud Rom. 16. ver. 13. *Salutate Rufum electum in Domino, & Matrem eius, & meam:* quæstionem instituit: Quomodo Apostolus Matrem Rufi suam dixerit, à qua nunquam genitus erat, & respondet: *eadem femina & Rufi mater erat secundùm carnem, & Pauli secundùm charitatem & beneficentiam.* Sic planè suam dicere potest eam secundùm charitatem & beneficentiam, quæ est Mater Filii Dei secundùm carnem, qui ei se devovet; ab uno enim uterq; procedit utero, Christus, & hic filius charitatis, sitq; alter frater alterius, imò ferè alter ipse.

Quintiliani declam. 321. dogma erat, quòd nihil aliud sit *fraternitas, quàm divisus spiritus.* Quod duntaxat verum est de iis fratribus, quorum concordia rara est: fallit autem in fratre Christo, non enim Christus divisus est; proinde meliùs dixisset, nihil aliud esse fraternitatem

nitatem, quàm eundem spiritum bilocatum: quod ipsum videtur sensisse, Cicero, lib. 3. ep. 7. dum ait: *Fratris officium est, erga fratrem ceu alterum se affici.* Implet hoc officium bonæ fraternitatis erga fratrem suum cumprimis Christus, quando erga omnem MARIÆ Filium, quasi alterum se afficitur, & ex hac affectione ea illi parat, confertq; decora, quæ ex amore sui sibi ornando elegit. Quanquam & in alio sensu fraternitas dici potest, divisus spiritus, quia ut loquitur S. Thom. opusc. 61. cap. 13. *frater dividit tecum, & dividendo diminuit paternum affectum, dividit & diminuit paternum censum, qui statim natus, quasi tibi injurians diminuit lac maternum, & adhærens uberi occupavit locum tuum.* Quod iterum in fraternitate Christi verum non est, nam, ut idem Sanctus ait, *per eum erga te crevit, quantùm ad effectum paternus* (maternus) *amor, per eum hæres efficeris, & ad paternum censum admitteris, quamvis Patri rebellans exhæreditari merueris, per quem nullum tibi debitum diminuitur, sed multiplex bonum indebitum tribuitur, postremo tradit frater fratrem in mortem, sed hic pro fratribus tradidit semetipsum in mortem.* Hæc ferè S. Doctor: ex quo patet quantum boni absconditum sit in eo, quòd quis fratrem habeat illum secundùm

charitatem & beneficentiam, qui est filius MARIÆ secundùm carnem.

Val. Max. lib. 5. c. 5. summum in corporali fraternitate vinculum amoris esse asserit ex pluribus capitibus: primò quòd in eodem domicilio antequam nascerentur, habitaverint: secundò, quòd in iisdem incunabulis infantiæ tempora peregerint: tertiò, quòd eosdem appellaverint parentes: quartò, quod eadem pro iis vota excubuerint; quintò, quòd parem è majorum imaginibus gloriam traxerint. Summa sunt hæc ei, qui secundùm carnem judicat, majora longè mutui amoris vincula sunt inter primò & secundo-genitos MARIÆ, & longè excellentiora motiva amandi, non enim radicatur in carne & sangvine amor iste, sed in spiritu, qui cùm nihil aliud sit quàm amor, quos fratres efficit, amantes facit, amor enim, teste Philosopho, aut similes invenit, aut facit: adde quòd vinculum illud facilè rumpatur, quòd fundatur in carne, quæ corrumpitur; istud autem, si per te non stat, non secùs, ac si unitum esset hypostaticè, nunquam solvetur. Deniq; hæc est vinculi hujus virtus, ut bona reddat communia quadamtenus, sicut unio hypostatica, ea, quæ Dei erant, communia fecit homini Christo.

S. Bernardinus Sen. serm. 61. in Quadr. c. 3. Beatissimam Virginem, ex eo, quòd sit Mater Dei, ait duplici jure esse totius Universi

Do-

Dominam constitutam: lege successionis & hæreditatis: tum quòd ad eam pertinebat, ut ad Matrem administrare jus, quod promeruit in instanti Conceptionis, & obtinuit, juxta quod ait Psalmista: Domini est terra & plenitudo ejus, tum quòd cùm moreretur Monarcha Universi in Cruce, nec haberet eum, qui de jure succederet, successit Mater, & Principatum omnium acquisivit. Quem quidem loquendi modum, videtur usurpasse ex S. Damasc. orat. 2. de Assumpt. dicente: *Oportet Dei Matrem ea quæ Filii erant, possidere, atq; ab omnibus rebus conditis Dei Matrem, & ancillam adorari, quanquam enim ita semper comparatum est, ut hæreditas à parentibus ad filios devolvatur, nunc tamen, ut eruditi cujuspiam viri verbis utar, sursum sacrorum fluminum fontes fluunt, etenim filius Matri creaturas omnes in servitutem addixit.* Hæc Damascenus. Planè sic augentur tituli in illo, ad possidenda, quæ sunt Dei, quem Mater hæc eligit in suum; præterquam enim, quòd jure adoptionis in successionem veniat bonorum adoptantis; hæreditas ei jure debetur, quia est frater Christi, cujus bonitas cùm sit non minus summè, quàm ordinatissimè communicativa, propinquiores sibi magis ditat, quàm qui stant à longè; ferè sicut loquitur S. Thom: *Quantò aliquis appropinquat principio,*

tantò

tanto magis participat effectum illius principii, cùm teste Philosopho, problem. sect. 12. quæst. 2. & 9. *unumquodq; agens in suum principium agat e propinquo, quàm e remoto, efficaciùs:* qualiter etiam cum S. Dionysio communis Theologia docet viciniores throno Dei Seraphim illuminari magìs, quàm qui absunt remotiùs. Quare sicut quia Virgo Beata ob Maternitatem est viciniſſima Deo, ditata est eo bono, quod etiam spem ejus excedit, ita quia adoptivus MARIÆ ante omnes vicinior est Christo post Matrem, præ reliquis bona ejus participabit.

Et hinc habetur efficax ratio spei de possidendis bonis Dei; frater enim est, qui ea distribuit, cui vult & prout vult; non sicut murmurator ille, veniens ex agro, *Luc.* 15. qui, quod recipitur filius prodigus à Patre optimo, vituli unius impensam esurienti fratri factam invidet, & dolet.

S. Leandri spes, ut refert Niremb. *Manual. lib.* 1. *cap.* 13. unica erat S. Florentia Virgo & soror sua, hanc ille jactabat magnam suæ securitatis partem, magnum in tremendo Dei judicio solatium; *cum sit sponsa*, aiebat, *Iudicis, non permittet, ut frater suæ sponsæ intereat.* Spes adoptivi Mariani quæ alia est? nisi frater major ejus, qui cùm simul judex sit non permittet, ut frater, & Matris suæ filius

quan-

quantumvis prodigus esset, intereat, quin suam cum eo substantiam dividet, sicq; frater hic bonorum eius hæres fiat, hæres quidem Dei, cohæres autem Christi. Quam fraternitatem ambire videtur Sapiens Cant. 8. cùm ait, *Quis mihi det te fratrem meum sugentem ubera Matris meæ, ut inveniam te foris, & iam nemo me despiciat:* ubi notanter accipe illud: *Et iam nemo me despiciat.* quasi enim dicit: quia per hoc, quòd essem frater ejus, in tam sublimi statu consisterem, ut nullo inferior, à nullo despici possem.

Hic mihi revoco illud ratiocinium Diophanti filij Themistoclis, de quo Plutarch. *lib. de educat. c.* 1. solebat hic secum ita argumentari, *ego guberno meam Matrem, mater mea gubernat meum Patrem, Pater meus gubernat Athenienses, propterea guberno Athenienses.* Quali quidem ratiocinatione cumprimis bene uti potest frater Christi; nam ex merito dicere potest: MARIA est Mater mea, ergo & JESUS est frater meus, ergo & Pater eius est Pater meus, ergo & regnum eius est hæreditas mea. Ergo & omnia bona eius sunt bona mea. Certè eiusmodi hæc fraternitas est, ut bonum eâ majus nec sperari, nec optari possit, & si daretur optio eligendi, bonum infra Deum melius eligi non posset, ferè, sicut ascetæ loqui solent, quòd meliorem MA-

RIA filium eligere non potuerit Filio Dei, nec Filius Dei meliorem matrem: sed hoc in casu prudens elector agere deberet, quod Catonem adhuc puerum fecisse tradit Plutarchus: *in Catone Uticensi*, qui cùm quæsitus esset, quem maximè diligeret, respondit: Fratrem Cæpionem, quem secundum? fratrem. quem tertium? eundem fratrem; nec ab hac responsione destitit, quàm alter interrogandi finem faceret. Una enim, eaq; summa felicitas est habere Christum fratrem, MARIAM Matrem, cuius qui compos est, meritò exclamet cum Ambrosio: *Benedictus frater, per quem MARIA est Mater nostra, & benedicta Mater, per quam Christus est noster frater.*

CAPUT 2dum.

Quem MARIA eligit in filium, confrater Sanctorum est, & de eorum bonis participat.

PIerius *lib. 53. verbo, felicitas*, narrat Astyagem Regem per somnium vidisse è Mandanes filiæ suæ utero enatam vitem, quæ magnam terrarum partem inumbraret, &

natus

natus eſt ex ea Cyrus nepos eius potentiſſimus iuxtà ac feliciſſimus Medorum Rex. Vitem tibi pone ob oculos, quisquis aves confratres adoptivi Mariani noſcere, in hac uvarum loco pone Sanctos omnes tam triumphantis, quàm militantis Eccleſiæ, omnes enim hi filij MARIÆ ſunt, & fratres in Chriſto. Innuit hoc ſcriptura Eccl. 24. dum Mater hæc Sancta iubetur *in electis Dei mittere radices*, & dum paſſim à Patribus vocatur radix electorum.

Quam quidem fraternitatem cûm conſidero, propè eſt, ut uſurpem illud Hieronymi laudantis Lætam, quòd Patrem infidelem ad fidem converterit. *Ego puto*, *ait* ep. ad Lætam *etiam ipſum Iovem*, *ſi habuiſſet talem cognationem*, *potuiſſe in Chriſtum credere*: ea quippe eſt hæc cognatio, ut propè nolentem trahat ad bonum, & ut uva conſpecta, livorem ducit ab uva, ſic è fraterna ſanctitate ſanctitatem etiam alioqui degener participet. S. Gregorii Turonenſis domum hoc nomine felicem vocat Fortunatus, *in vita*, quòd præter Sanctos nullum educare potuerit: quam quidem gratiam ab aliis etiam participatam ſcio, nam decantatum eſt, de domo Bonifacii Pontificis, quòd in ea nullus hæreticus vivere potuerit, imò de Iammona in Minorica, una ex Balearibus inſulis teſtatur Petra-Sancta ex S. Severo Epiſcopo, *thaumas. cap.* 27. *& Baron. Anno*

 418.

418. quòd ſicut nullos lupos, vulpes, nullaq́; alia venenoſa animantia fert, ſic nec Judæos, aliosq́; male-volos patitur, ſed qui adeunt, aut ſubitò exanimantur, aut fulmine pereunt: quod ipſum de Edeſſa civitate Syriæ refert Iacobus Januenſis Ep. *hiſt. Lombard. in vita S. Thom.* in qua ob illatum corpus S. Thomæ Apoſtoli nullus hæreticus aut paganus vivere poteſt. Feliciorem domum Marianam, in qua ipſi lupi agni fiunt, & improbi ac degeneres, Sancti: qualis lupus erat Andreas Cretenſis, *de quo habet Brev. Rom. in ejus feſto*, quòd ubi domum Marianam ſubiît, in agnum mutatus eſt: qualis degener erat Paulus Koſtka, qui tamen, quia frater erat illius B. Staniſlai, qui MARIAM in Matrem elegerat, evaſit in talem virum, cujus ſanctitas hodieq́; per totam Poloniam eſt in benedictione: quod videre potes apud *Sacchinum in vita B. Staniſlai*, quales improbi erant longè plurimi, quos tamen cognatio Mariana ad frugem reduxit. Luc. 19. ingreſſus domum Zachæi Chriſtus: *Hodie* ait, *huic domui ſalus facta eſt, eò quòd & ipſe filius ſit Abrahæ.* Sit hoſpes in domo alicujus primo-genitus MARIÆ, fac ſe referat ad illum aliquis confratrum ejus, ſi licèt merito ſuò puſillus ſit, ac proprio peccato publicanus, fiet indubiè ejus domui ſalus, eò quòd & ipſe filius ſit MARIÆ, quæ eſt ſalus omnium ſperantium

in ſe

in se, venientq́; ei omnia bona pariter cum hac fraternitate, & per quam bonum ac jucundum erit, adlectum eum esse in numerum fratrum Christi, filiorum MARIÆ.

Sanctificari virum infidelem per mulierem fidelem docet Apostolus: 1. *Cor.* 7. fratrem improbum ego dico sanctificari per fratrem sanctum; hic enim sine intermissione orat pro illo, dum ad mentem redeat, & si timeat eum tanquam abortivum ab utero projici à Deo, ardens amore, optat cum Paulo Rom. 9. *anathema esse à Christo pro fratribus:* quasi putaret decedere aliquid beatitudini suæ, quamdiu periclitatur frater.

Scipionis Africani amorem laudat Plut. *in Scipione* quòd Hispaniâ subjugatâ, & Annibale victo, partâq́; bello Africâ nihil se egisse putârit, nisi unà crescere videret gloriam, & nomen fratris, hujus ita fuit cupidus, ut non Asiæ modò Proconsulatum ei procurârit, sed propriâ se dignitate spolians, satis sibi honoris putârit, si ut gregarius miles fratrem sequeretur. Neq́; verò Sancti minùs amant Marianos fratres suos; pro his impendi & superimpendi postulant, modò bene sit fratribus, horum bonum, suum autumant; horum beatitudinem, suam putant: exemplo Apostoli vocantis quosdam *fratres desideratissimos, gaudium & coronam suam:* Phil. 4. & iterum, 1, Thess. 2

Quæ est enim spes nostra, gaudium & corona gloriæ? nonne vos ante Dominum nostrum IESVM Christum estis in adventu ejus. Neq; verò id abs re existimant, quædam enim beatitudo saltem accidentalis est, plures habere fratres participes beatitudinis ejusdem, ideóq; meritò gaudent de bono aliorum, quasi de proprio; gaudium enim, juxta Philosophum, esse non potest, nisi de bono proprio, saltem respectivè: qualiter gavisum inter cæteros ferunt S. Severinum, *apud Bollandum in vita 8. Ian. c. 5.* cujus ea ultima morientis vox erat dicta fratribus. *Confido in Domino, quòd mihi de vobis æterna lucra proveniet.*

Mirè mihi arridet pietas Magni illius Cancellarii Ioannis Gersonis ipsam innocentiam pro salute sua patronam instituentis, de quo *refert Barry in Anno Sancto 4. Aug.* quòd agmen innocentium identidem convocârit, ac jussos genua curvare, compellârit: Clamate pueri ad Deum, & sic orate: *Benignissime Deus, & Domine, miserere Ioannis Gersonis.* Ad quem modum ita pueros assvefecerat, ut diu à morte ejus orantium hæc formula fuerit. Quàm putas salubrem fuisse hanc innocentem precationem Gersoni; imò quam putas Sanctorum orantium pro fratribus suis, dicentiumq; Benignissime Domine miserere hujus vel illius fratris nostri.

Ambrosii *lib. de pænit.* illud est: *Multorum preces impossibile est contemni*, adde Sanctorum, & impossibilitas major apparet. Ruffini verò *præf. in vit. Patr.* illud: *Quis dubitet mundum stare precibus Sanctorum?* adde, & fratres, qui in mundo sunt; certè si ob unum Iacob benedixit Dominus domui Laban *Gen.* 30. si ob unum Ioseph domui Puthipharis *Gen.* 39. si ob unum Paulum periclitantibus in naufragio, *Act.* 27. quid faciet propter tot electos, tot innocentes, tot Sanctos fratres? Impossibile est preces eorum contemni, si duntaxat agant, quod petiit Abram ab uxore sua. Gen. 12. *Dic obsecro te, quòd soror mea sis, ut bene sit mihi propter te, & vivat anima mea ob gratiam tui.*

Multa sunt hæc in cognatione ista: at non omnia. Filius MARIÆ ex eo, quod frater est eorum, qui se ad MARIAM referunt, non solùm de Matris suæ bonis participat, sed etiam de omnium tam triumphantis quàm militantis Ecclesiæ sanctorum fratrum suorum meritis communicat. Hæc ut clariùs pateat, scito quemlibet talem fratrem esse membrum corporis magni, omnes enim unum corpus sumus in Christo, alter autem alterius membra: hinc sicut membra physici corporis mutuâ sibi serviunt charitate, nam oculus pro toto videt corpore, auris pro toto audit, manus pro toto laborat;

sic

sic in mystico hoc corpore, operatio bona unius cedit in bonum alterius, & sicut ibi propter physicam unionem perfectissima participatio sangvinis, & spirituum vitalium est, sic hic propter unionem moralem, communicatio gratiarum est: Adde, quòd sicut in corpore physico unio facit omnia omnibus membris communia, sic hic amoris nexus, quo animi uniuntur. Fundatur hic discursus in illo ps. 118. *Particeps ego sum omnium timentium te, & custodientium mandata tua*, imò fundatur in ipsa radice bonitatis Dei, quæ cùm summè sui communicativa sit, quos meliores effecit, magìs facit communicativos, ut, sicut ait Apostolus: *illorum abundantia nostræ inopiæ fiat supplementum, ut sit æqualitas*, quæ est mater amoris: unde loquitur S. Maximus, hom. de avaritia, *sicut nefas putabant primi Christiani sibi participem non adsciscere in Substantia, qui particeps esset in gratia, ut quibus erat una fides, esset & una substantia, & quibus erat communis Christus, communis esset & sumptus*: Sic religioni ducunt fratres majores, non admittere in sortem bonorum suorum, qui peregrè adhuc prodigunt veriùs, quàm augent substantiam suã.

Ex his patet, quanta sint, quæ à fratribus sanctis accipit Filius MARIÆ: imò quàm fortunati sunt, sua si bona nôssent, ejusmodi fra-

tres, quibus tota laborat ſanctitas ornandis.
Phaon & Pandora collatâ à ſingulis Diis
pulchritudinis particulâ glorioſi comparuère in
cælo Poëtarum: quàm glorioſus putas, compa-
rebit, qui à ſingulis vel particulam meriti parti-
cipabit: perpende obſecro, quanta ſint, & quàm
illuſtria merita Sanctorum, qui vel in ſodalita-
tibus Roſarii, Scapularis, Annuntiatæ, & quo-
cunq; demum cætu Deiparæ famulantur, vel
aliâ quâcunq; ratione ad MARIAM perti-
nent, hi omnes theſaurizant fratri, de his o-
mnibus dicere poteſt relictus adhuc in Ægy-
pto mundi filius, illud Gen. 45. *Ego ſum Ioſeph
frater veſter, filius accreſcens, fratrum mi-
nimus*, & confido, quòd mihi de vobis æte-
na lucra provenient.

Quæ omnia cùm conſidero, nihil habeo
ampliùs, quàm ut totam confratris hujus feli-
citatem in ſummam colligam, ac nonnihil muta-
to illo S. Gregorii Nazian. laudantis ſponſum
Gorgoniæ pientiſſimæ feminæ: *vultis*, ait: o-
rat. 2. *uno verbo deſcribam virum. Vir Gor-
goniæ fuit, nec ſcio quid ampliùs dicam.*
Nihil inquam reſtat, niſi ut mutato hoc dicam:
Frater es tantorum heroum cæli, nec ſcio quid
ampliùs dicam.

CA-

CAPUT 3tium.

Quem MARIA adoptat in Filium, superior necessitatibus est, bonum enim habet provisorem.

FAvinus *lib. 3. theatri honoris.* habet de Sodalitate Equitum à Carduo B. V. quam Anno 1370. condidit Ludovicus Bonus, quòd suis hanc obligationem posuerit, ut ad spem contestandam, quam per potentissimum Deiparæ patrocinium collocarent in Deo, se cæruleo cingulo præcingerent, per quem è villoso serico, arte phrygiâ, charactere aureo Lemma iret, SPES. Tali torquatus cingulo, & lumbos præcinctus quivis Magnæ Matris adoptivus esse debet, & signum hoc in Zodiaco suo locare, ut quotidie dicat cum Euthymio orat. de zona. *In te omnem spem nostram collocavimus, in te vivimus, & gloriamur, & sumus:* aut cum S. Thom. de Villa-nova: conc. 3. de Nat. B. V. *Sicut pulli volitantibus desuper milvis ad gallinæ alas accurrunt, ita & nos sub velamento alarum tuarum abscondimur: nescimus aliud refrigerium, nisi in te,*

te, tu sola es unica spes nostra, in qua confidimus. Quod ipsum etiam Bern. serm. de Nat. B. V. *Filioli*, inquit, *hæc peccatorum scala, hæc mea maxima fiducia est, hæc tota ratio spei meæ*. Spem tuam colloca in MARIA, si enim potest Mater oblivisci filium uteri sui, non obliviscetur tui MARIA: securus esto, quòd in protectione Matris tuæ commorabere, non sicut aliarum matrum filii, qui dum pariuntur, expositi veriùs quàm nati dividuntur à matre, ideoq; modicam sæpè opem ab ea, utpote divisi ab illa, accipiunt: secùs fit cum eo, qui adoptivus Matris hujus est; concipitur enim in corde, ibidem crescit, vivit, moritur, & à morte iterum renascitur phænicis instar: si enim verum est, quòd servus Christi Gal. 4. *filiolos iterum parturiat, donec formetur in iis Christus*: quidni id faxit Mater Christi, cujus filii, ut loquitur Gverricus Abbas serm. 1. de Assumpt. *non ex traduce naturæ, sed munere gratiæ oriuntur*.

Pullos avis regiæ Arabicæ nasci ajunt è sangvine misso ex ipsis medullis cordis, *teste Nadasi prædest. 6. c. 3.* Dixi suprà filios cordis Mariani esse eos, quos adoptat MARIA, id hìc addo excitandæ eorum fiduciæ, individuos eos cordis Mariani esse incolas, ideoq; ab ea amari, ut cor suum, provideriq; iis, ut parti nobiliori corporis sui: Sanè si fides Aristoteli

est,

est, docenti eum è gemellis magis amari à Matre, qui propius cor jacuit, cùm portaretur in utero: quantò putas amore amabitur filius Marianus, qui in corde Matris suæ concipitur, nascitur & vivit? Si natura præ reliquis membris singulariter cordi providet, ad illud spiritus vitales convocando, illudq; protegendo ab occasionibus læsivis; quanta putas provisio erit filio Mariano, filio cordis, & incolæ ejus? deesse illi nihil potest, nisi idē cordi Mariano deesse dicas.

Cor quidam apud Barry *in Anno Sancto* idem significare docet, quòd Cameram Omnipotentis Regis, in hac Camera habitat dilectus MARIÆ usurpans quòd sibi deest de thesauris Matris suæ; qualem incolam fuisse B. Petrum Damiani testatur Maraccius, *purpuræ Mar. pag.* 365. qui à morte sua tripudians visus est Urbano Abbati, dicens illi: *An nescis? quod in Camera S. MARIÆ Virginis habito, in ejus sacrario demoror, ac ejus camerarium me esse profiteor?* Talis quidem incola, putas, deficere potest in aliquo? absit; qui MARIAM habet, nullius eget, & qui in protectione ejus Camera Omnipotentis Reginæ habitat, superior est omnibus necessitatibus.

Respexit huc servus ille Dei P. Antonius Odescalius è Soc. nostra, cujus ut volunt Annuæ Soc. ea vox fuit: *plurimùm juvare studiosum, si quis cogitet, se in cubiculo*

B. V.

B. V. studere: plurimùm certè, si quis cogitet se amari ex corde à *Virgine*, ideoq; cordis ejusdem incolam esse, ad omnes necessitates profligandas valet: cùm sibi quivis persvadet illud, quo Christus utitur ad augendam in suis spem: Ioan. 16. *Ipse enim Pater amat vos*: ipsa Mater amat vos, novit, potest, & vult bona data dare filiis suis. Quò etiam respexit S. Franciscus Salesius, *apud Fotium in vita cap.* 8. qui suas sanctimoniales visitantis B. V. ita instituere soleret, ut existimarent se planè vivere in corde IESU (adde & MARIÆ) & conarentur Deum amore simplicissimo delectare: qui enim in corde MARIÆ vivit, bonum habet provisorem, eum scilicet, cui dicat cum S. Ephrem orat. de B. V. *Non mihi alia fiducia ô Virgo sincera, tu enim portus meus ô Virgo inviolata & præsens auxiliatrix, sub tutela & protectione tua totus sum.* At, placet, enucleatiùs videamus, quantùm conferat suis è singulis donis naturæ, fortunæ & gratiæ, quos elegit: ut dicere possit talis, ipsa Mater verè amat nos, nec patitur quidquam deesse nobis, quos accepit in sua.

CAPUT

CAPUT 4tum.

Quem MARIA adoptat in Filium, ei providet in necessitatibus naturæ.

DE Lucretia Palliani Ducissa habent Heroides Marianæ, *ex Maraccio in hist. S. Mar. in porticu*, eam supra cor suum inscripta gestâsse hæc verba: *Noli me tangere, quia Virginis sum.* Hæc ipsa planè ingeret cordi suo adoptivus MARIÆ, contra omnes incursus affligentis naturæ, & non succumbet communi malo; quantumvis enim ceciderit, non collidetur: quia Mater ejus supponit manū suā, & auxiliatur ei in tempore opportuno.

Duplex porro malum naturæ est; aliud labefactivum, aliud autem planè dissolutivum naturæ; primum incumbit nobis, cùm adhuc homines sumus, aliud, cùm homines esse desinimus. Quod primum attinet, ita multiplicatæ sunt infirmitates nostræ, ut propè in naturam abiîsse videantur. Hinc S. Aug. ait. in ps. 102. quòd *ipsum nasci, incipere ægrotare est*: & Hebræi hominem Enos, id est ægrotum vocant. Tantum equidem, & tam certum hoc malum est, ut nobiscum concipiatur in utero, collacta-

neum

neum nobis sit, & fidus in vita Achates, in morte autem unà subeat sepulchrum. Ab ipso utero eruditur homo miser esse, & morbidus, è quo utero, loquor cum Ambrosio, orat. de fide resur. *projicitur in hanc vitam spoliatus & nudus, corpore fragili, corde lubrico, imbecilli animo, anxius ad solicitudinem.* In vita autem carnificem hunc semper nobiscum habemus, ut ajebat Thomas Morus; quamvis ubi necandi simus, nesciamus. Quæ omnia, cùm considero, illud Senecæ usurpare cogor: *Nemo vitam accepisset, si daretur scientibus:* nimis etiam quàm verum est illud acroama Solonis apud Clem. Alex. lib. 3. strom. *O Cræse, quivis homo est calamitas.* Neq; verò vereatur is, qui Virginis est, in hoc universali malo, quia præstò habet illam, quam S. Damasc. de dormit. B. V. vocat *officinam medicinæ ægrotantibus, fontem perennem curationum,* & S. Germ. orat. de præsent. B. V. *medicinam insanabilium vulnerum nostrorum.*

Achillem vulnerari non potuisse industriâ Thetydos Matris, commentum est; lædi adoptivum MARIÆ non posse, Matris beneficium est: hæc illi præsidio inter quotidianos casus, pericula, & infirmitates est; hæc illi asylo, cùm à Iustitia Dei ad pænam quæritur; hæc, cùm à vindice Deo punitur, solatio est. Aliæ Matres iis, quos pariunt, morbos ingenerant: qui enim

viret in folijs, venit à radicibus humor; hæc quos accipit in sua, sanat.

Græcis medicina erat universalis dicta Pancrestos, ut habet Miechoviensis, *super Lit. Lauret. tit. Salus Infirm.* quæ omnibus morbis serviebat: qualis fortè fuit illa, cujus meminit Richardus Erixiensis, *tom. 2. apud Carthagenam de ineffab. Sacram.* cùm columbæ sangvine extillato è latere dextero subter ala aperto contra omnis generis morbos uterentur. Medicina ægritudinum universalis pro filiis suis, est Virgo Beata, hæc in iis, omne quod in natura imperfectum est, integrat; quod corruptum, reparat, quod mortuum suscitat. Neq; ægritudinum modò corporis, sed & animi præsens auxiliatrix est, imò omnis adversitas undecunq; orta, fluit tanquam cera à facie ignis, à facie Virginis respicientis super infirmitates filiorum: præstò illi est sangvis è latere columbæ, id est è latere aperto filii sui crucifixi, quo ceu omnipotenti alexipharmaco medeatur: præstò est affectus & voluntas succurrendi, modò qui tangitur, Virginis sit, illius inquam Virginis, quæ ùt vult Sapiens Eccl. 4. *filiis suis vitam inspirat, & suscipit inquirentes se, & qui illam diligit, diligit vitam, qui tenuerint illam, vitam hæreditabunt, & quo introibit, benedicet Deus.*

B. Iordanus Ord. Prædic. habet *teste*

Barry parad. cap. 2. *exercit.* 5. de quodam sui Ordinis Religioso, quòd cùm in latrones incidisset, nec modum evadendi vidisset esse super, abjectus in siliginem, illa verba iterârit: Monstra te esse matrem: Mira res, medius inter latrones, liber à latronibus, eorum oculos fefellit, absconditus sub tegumento alarum Marianarum; ut quem propè palpârunt, tantùm non super eum cadentes, non viderent. Idem quotidie potens est facere Mater invocata, premit te morbus, invoca illam, & non tanget te: petit adversitas; invoca Matrem & non prosternet te; invadit afflictio, recurre ad MARIAM, & non obruet te: *ipsam rogans* ait S. Bern. serm. 2. super Missus, *non desperas; ipsa tenente non corruis, ipsa protegente non metuis, ipsa duce non fatigaris, ipsâ propitiâ pervenis.* Unde bene monet Thom. à Kemp. 3. part. serm. ad Novit. c. 2. *Si consolari in omni tribulatione quæritis, accedite ad MARIAM Matrem IESV; & omnia gravamina vestra aut citò recedent, aut leviora fient. Eligite hanc benignissimam Matrem IESV, præ cunctis parentibus & amicis vestris, in matrem specialem, & advocatam ante mortem &c.*

Alterum genus mali naturæ est planè dissolutivum naturæ, nullumq; aliud est, quàm quo deficit cujusq; natura: Hoc malum malo-

rum pessimum ne filiis suis noceat, adest pia Mater præsens auxiliatrix, ac mortis dulcoratrix, secundùm quod ipsa dixit S. Mechtildi: apud Blosium monili c. 12. n. 10. *Ego omnibus, qui mihi piè & sanctè deserviunt, volo in morte fidelissimè, tanquam Mater piissima adesse, eosq; consolari, & protegere.* Quæ quidem prærogativa assistendi data videtur Virgini per hoc, quòd adstiterit Christo in doloribus, ut notat Salmeron, *tom.* 3. *tract.* 5. inquiens: *Ob id, quod Christo nascenti & morienti MARIA adstitit, digna facta est, quæ filiorum Dei generationem, ut Mater pientissima foveat, atq; morti nostræ, in qua Deo per gloriam nascimur, singulariter succurrat; ut in tanto patrocinio & favore sublevati servatiq; Virginem sanctissimam imitemur, ac Filium ejus cum Patre & Spiritu Sancto per æterna sæcula exaltemus, atq; magnificemus.*

E qua quidem patrona assistentia, quantùm dulcedinis hauriatur, patet inde, quod is, cui assistit, quadamtenus certus reddatur de salute sua, possitq; usurpare illud Bern. super missus; *sicut à te despectus & aversus, ô Virgo, necesse est, ut pereat, ita ad te conversus, necesse est, ut salvetur.* Quæ certitudo tam mihi firma videtur, ut meritò huc, servatâ proportione, referre possim illud P. Cottoni

viri ob vitæ sanctimoniam per orbem clarissimi, cui ea vox frequens erat: quam etiam legere potes apud eum *medit.* 10. *de prædest.* Si à me mea dependeret prædestinatio, certus planè essem ac securus ob naturalem mei erga me ipsum affectum & amorem: At amor, quo tu Deus me prosequeris, supernaturalis, Divinus, infinitus, ac proinde tantò meo amore superior, quantùm cælum terrâ, gratia naturâ, Creator creaturâ dignior est. Beatum me, quòd in tam bonum incidam Dominum, dum à me ipso egredior, quòdq; salus mea illi committatur, & curæ sit; qui me infinities majore, quàm ego ipse, amore prosequitur.

Hinc ortam puto in pluribus illam confidentiam, qui ad mortem tanquam Sponsa ad thalamum, aut avis ad libertatem, anhelabant, lætantes de tempore impendente, quo in domum Domini ituri essent: Item eorum, quibus unicum in morte gaudium erat filium fuisse MARIÆ, qualiter lætatum refert *Doutreman pædag. Christ. p.* 2. *c.* 25. *n.* 33. Iustum Lipsium notum illum tot editis præclaris voluminibus virum, qui quæsitus à P. Leonardo Lessio Confessario suo, quæ res esset, unde nunc maximè gauderet in agone, respondit: nulla magis, quàm quòd in Partheniorum MARIÆ Sodalium numerum adlectus sum. Qualiter item lætatus est Sodalis ille Lovaniensis,

cujus jam ſexagenarii morientis ea ſuprema vox fuit: *de quo habent Annuæ Soc. Anno* 1604. bene habet Sodales, quæ duo viventi fuêre præſidia, nunc ſentio, quàm vera ſint morienti ſolatia, unum quòd Sodalis (ſcio quià indignus) Dominam tamen meam ſupplex coluerim; alterum, quòd Pænitentiæ & Euchariſtiæ Sacramenta diebus ſingulis Dominicis & feſtis frequentârim.

Demus verò aliquos parùm probè vixiſſe, hocq; rerum articulo expectare ſententiam Iudicis; hos ego tales, quamvis de ſalute ſua aſſecurare non poſſim, multam tamen eis ſpem facio, quia bonam Dominam habent, quæ cùm ſit Mater eorum & Iudicis, ſalutis ipſorum negotia efficaciter pertractabit, impetrabitq; eis hanc ut ſummùm à Iudice ſententiam, quam Salomon dedit Abiathar Sacerdoti. 3. Reg. 2. *Vade in Anathot ad agrum tuum, & quidem vir mortis es, ſed hodie te non interficiam, quia portâſti arcam Domini:* quaſi diceret, vir quidem mortis es, ſed hodie te non interficiam propter arcam, id eſt MARIAM, cujus filius es, priusquam in Anathot, id eſt ad cantica, quibus defleas peccatum tuum, iveris. Cum his talibus fit, quod cum filio mulieris illius, *Apoc.* 12. quæ apparuit in cælo, ut ſignum magnum, nam & hic draco ſtetit ante mulierem, quæ erat paritura, ut cùm pe-

periſſet,

periisset, Filium ejus devoraret, neq; tamen quidquam profecit, nam raptus est filius ejus ad Deum, & ad thronum ejus.

Longus sim, si rem exemplis confirmare voluero, quæ nimis quàm decantata sunt, de quibus Idiota contempl. 18. p. 4. *tua*, inquit, *Virgo, Omnipotentia manifestè ostenditur, quia multos ex improviso mortuos, qui dum caderent, tuo patrocinio se commendaverunt, liberâsti: multos etiam, qui sine pænitentia decesserunt in peccato mortali, à diaboli faucibus eripuisti, & ut possent agere pænitentiam, ad vitam reduxisti.* Quorum numero accensendus videtur sodalis ille Congregationis Torunensis, qui cùm inter hilaria, apoplexiâ tactus esset, redux è purgatorio petiit aliena quædam restitui, ac peregrinationem pro se ad B. V. Czestochoviensem ac Landscronam: exclamavitq; ô beatam Congregationem Torunensem! in qua contritionis actum elicere sum edoctus; ut refert Nadasi ex annuis Coll. Cracoviensis, Anni 1626. *signo prædest.* IV. *consil.* 100. Item ille Spoletanus Sodalis, *de quo, idem in Annal. Marian. an.* 1583. cui nomen Ioannes Philippus, quem cùm cacodæmon objectis ignibus & telis inferni, morientem territâsset, comparens Virgo pretiosissima adjuvit, nam redditus sibi, factâq; fidei professione, cùm ei aqua porrigeretur

geretur ad abluendum os, respondit, non egere se liquore, cùm sibi à Regina cæli calix plenus sangvine IESU porrectus sit, & lacte ex uberibus ejus sacratissimis refectus, quibus eriam in verbis sacratissimè immortuus est. Poterant hi aliiq; ope Virginis liberati cum sodali illo in simili adjuto *apud Lechner. in sod. Parthen. lib. 3. c. 10. n. 12.* exclamare, non ter tantùm, sed millies, *Victoria! Victoria! Victoria!* bonam Dominam habemus; poterant, ut nuper prodigus ille filius dissipatâ etiam substantiâ exclamare apud S. Petrum Chrysologum serm. 14. *Ego perdidi, quod erat Filii, at ille quod Patris est, non amisit, illa quod Matris est, non amisit: bonam Dominam habemus.*

Quæ omnia cùm considero, occurrit mihi illud epiphonema Manilii scribentis de Alcone Cretensi, apud Valer. Flaccum lib. 1. qui cùm filium suum fortè dormientem deprehendisset, quem circumvolutus serpens circa cor jamjam vulneraturus erat, ita scitè eductâ pharetrâ, tetigit, ut & serpentem occiderit, nec in tam periculoso ictu etiam filium modicè læserit; quo narrato, subjungit. *Mirabile erat hoc opus, sed ars erat esse Patrem.* Mirabile revera, quòd tot nebulones, tot in vitiis enutriti, tot à dæmone circumvoluti, ac propè jam devorati, salvati fuerint; sed ars erat esse

Pa-

Patrem; ars erat esse Matrem: clamavit pro iis ad Dominum, ut olim pro eo, quem in vinculis genuerat: *Tu illum, ut mea viscera suscipe* Paulus ad Philemonem: & exaudita Mater pro sua reverentia; imò exauditus est Filius ipse, licèt fortè nihil minùs, quàm de salute sua cogitaverit: quod mysterium videtur esse in precibus MARIÆ nimis quàm frequens, ut in filios ejus reciprocetur amor Matris, ipsiq; exaudiri dicantur sola Matre pro iis orante, quemadmodum *Gen.* 21. Deus dicitur exaudivisse vocem pueri Ismaëlis, cùm tamen præ siti moriens iste nec os aperire potuerit, & sola Agar mater, abjecto puero subter unam arborem sedens contrà levârit vocem suam, flensq́; dixerit, *non videbo puerum morientem.*

Vides ergo quantum & ex hoc capite felicitatis sit esse filium MARIÆ, quod Matri potestas data sit assistendi morientibus, imò & inducendi ad Regem, quod Iudæi fabulantur de Mitraton, seu Principe Creaturarum; quæ continuò assistit ante faciem Dei, & inducit bene de se meritos ante faciem Regis. Reliquum est, ut probè expleas omnes partes adoptivi, sic enim fiet, quod Sap. 2. dicitur: *Si est verus filius Dei, suscipiet illum, & liberabit illum de manibus contrariorum.*

CAPUT 5tum.

Quem MARIA adoptat in filium, ei providet in necessitatibus fortunæ & gratiæ.

MAgna ſunt hæc bona, quæ præparavit diligentibus ſe Virgo Beata, quæ tamen ſi eos non movent, qui ad ſiliquas temporalis fortunæ reſpiciunt, cogitent velim, quód in domo Matris hujus benedictæ, etiam mercenarii abundent panibus. Fortuna ipſa eſt generis ſui, novusq; quidam & indeficiens fons, è quo hauriant tanquam è Nilo omnes, qui ſe conferunt ad eam: de hac veriùs illud dixeris, quod de Adriano Imp. Sabellicus: lib. 4. Ennead. 7. *Neminem vidit pauperem, modò innocentem, quem non ditaret.*

Et quidni prædam det domeſticis ſuis, fortis hæc mulier, per cujus manus tranſeunt ea, quæ conferuntur etiam externis & malis: ſuis utiq; illud ſervat: Luc. 12. *Fili tu ſemper mecum es, & omnia mea tua ſunt:* Novit reliqua adjicere, quærenti primò regnum ejus: novit bona data dare filiis ſuis, ſi tamen non planè canes eſſe velint, cupientes micas, quæ cadunt de menſa filiorum, nec ſint ex numero

eorum,

eorum, de quibus Sapiens Eccl. 29. ait, quòd *donec accipiant, osculantur manus dantis.*

Inter Cistercienses abierat in proverbium: *Domina Charitas providebit*: quod ortum habuit talem: Vir quidam mediâ confectus ad S. Baldvinum fundatorem Bodolensis cœnobii veniens, orabat eleemosynam, cumq; vir sanctus dimidium panis hordeacei, qui reliquus domi erat, ei dari jussisset, perrexit petere & pulmentum; hoc cùm domi deesset, subjunxit mendicus: Domina Charitas providebit: nec fefellit, nam postliminio redux cum mappa, cujus pars una candidissimos habebat panes, altera nobilem farinam pro pulmento fratrum, hæc vobis, ait, Domina Charitas transmisit, & evanuit. *Refert hoc Henriquez in fascic: Cisterciensium lib. 1. cap. 3.* Providebit Domina Charitas, providebit adoptivis suis MARIA, in affectum enim Charitatis transierunt ejus viscera, nec pati potest aliquem ex suis derelictum, aut semen suum quærens panem.

Rosweidus in Vita S. Ioannis Eleemosynarii *cap.* 34. habet, quòd pater quispiam moriturus, accito ad se, quem unicum habebat filio, optionem fecerit, vel acciperet testamenti loco, decem, quas reliquas habebat, libras auri, vel his in pauperes erogatis, Beatissimam Virginem loco testamenti: placuit prudenti ele-
ctio:

ctori ultimum, quod nec ipsum fefellit, nam cùm à morte patris omnibus nudus esset, à S. Joanne Eleemosynario re comperta, domo, uxore, hæreditate copiosa auctus est. Geminum huic est, quod lego apud Joannem Herolt, quem aliàs vocant Discipulum. Refert is, mulierem, quæ alendis prolibus non erat, filias duas stitisse coram imagine Deiparæ, dixisseque: En tuæ filiæ, tibi eas relinquo, curam illarum habe, quia tu es mater illarum. Vix templo egressæ erant, & adest, qui centum libras auri pro elocatione filiarum offerret. Neq; hìc stetit amor MARIÆ erga filias suas; cùm sic dotatæ, non quidem suâ culpâ, sed vitio alieno, honestæ non essent, vulgusq; malè explicaret, quòd capere non poterat, submissus Angelus de cælo, qui populo inspectante toto, utramq; Virginem coronaret, coronandoq; diceret: Hæc vobis mandat Mater vestra, Virgo Deipara in signum Virginitatis vestræ. Recentius est, quod habet Gumpenberg in Atlante Mariano *imag.* 780. de Matrona, Benigna nomine, æditimi curam habente in paupere quopiam Sacello Catanæ in Sicilia, quæ cùm accensâ pro more lampade ante imaginem Virginis peteret gratiam videndi semel adhuc in vita filii captivi apud Turcas, eâdem die voti compos facta est, translato Divinitùs filio; filiaq; nubilis, viro equestri, matrimonio copulata, qui in carce-

re votum voverat se iturum ad prædictum sacellum, ducturumq; Virginem indotatam. Providit his Domina Charitas, providit MARIA, providebit & aliis abundanter, modò malint esse filii Cordis, quàm ventris, id est modò velint servire MARIÆ propter MARIAM, & non propter hæc caduca. Bene Richardus à S. Laur. *lib.* 2. *de laud. Virg. c.* 1. applicat Virgini, quod de filio ejus dicitur ps. 54. *Iacta cogitatum tuum in Dominum, & ipse te enutriet:* aliàs etiam verum est illud Eccl. 6. *ubi non est mulier, ingemiscit egens:* quod bene idem Richard. explicat: *Vbicunq; MARIA mulier non est, non est, nisi gemitus & egestas.*

In Germania tres sunt abbatiæ *referente P. Pikenio in peregr.* ob ingentes divitias sortitæ opulenta nomina: prima est Melicensis, quæ dicitur modius semper plenus, altera Claustrum Neoburgense, quod dicitur, Vas semper fluens, Tertia, Godvicense, quod dicitur Nummus semper resonans, putatq; vulgus tantas in iis esse opes, ut in uno semper frumenta dimetiri, in alio semper depromi vinum, in tertio, semper pecunia per annum numerari possit. Speciosa sunt hæc nomina, sed deficere possunt in divitiis suis: non potest, qui pertinet ad MARIAM; vas illa est semper fluens, & superefluens, nobilius longè, quàm vas oleo ple-

plenum Elisæi, ex quo accipiant universi, pauper divitias, æger curationem, tristis consolationem; Mater charitatis, (sic B. V. appellat Bern. serm. 60.) providet omnibus affluenter.

At relinquamus hanc scoriam, seu ollam fortunæ: potiora bona sunt illa bona prov. 2. *Super argentum & aurum gratia bona*: de quibus S. Thom. q. 113. a. 9. ad 2. *Bonum*, ait, *gratiæ unius majus est, quàm bonum naturæ universæ*: imò, *majus est, quàm bonum gloriæ beatificantis, quia plùs excedit donum gratiæ dignitatem impii, qui erat dignus pænâ, quàm donum gloriæ dignitatem justi, qui ex hoc ipso, quòd est justificatus, est dignus gloriâ.* Cætera bona caduca sunt, non solùm, quia legitimum non habent hæredem, sed etiam quia possessio eorum verus casus est, adeòq; bona cætera ipsum nomen mentiuntur: collatio gratiæ verum bonum est, & stabile, de quo accipe illud Sap. 7. *Infinitus est thesaurus hominibus, quo qui usi sunt, facti sunt participes amicitiæ Dei.* Alia bona vocantur fortuna, quam inter causas per accidens unà cum casu numerat Philosophus, quia per varios casus, per tot discrimina rerum tenentur; bonum gratiæ beatitudo dici potest, & causa per se omnis boni stabilis, nec obnoxia ullis casibus, nam nec perdi potest, nisi per mortem peccati. Hæc bona stabilia suis

parat Virgo, hæc Mater pia thesaurizat filiis suis, ut per eam maxima & pretiosa dona accipientes, efficiantur Divinæ consortes naturæ.

Sanè si in comparationem vocare licet Sanctos Dei, in iis quidpiam speciale me videre videor, qui quoquo modo dum viverent, ad B. V. referebantur, vel specialiùs ei devoti fuerunt: hinc & rariores gratias & charismata iis communicata adverto, quàm aliis, qui tali titulo caruere. Expletum hìc videtur illud, Benedicam benedicentibus tibi, & qui benedixerit tibi, benedictionibus replebitur. Quæ ratio est, cur vitæ spiritualis Magistri, instillandam tyronibus cum lacte devotionem ad Beatissimam Virginem putent; sciunt enim quòd non unus è bove muto gratiis plenus, & Angelicus evaserit Thomas, qui puer adhuc frequens masticârit Ave MARIA. Certè in hunc finem condita videtur regula illa in Ordine S. Pauli primi Eremitæ, ut Novitio veste religiosa induto detur disciplina, & corona B. V. ut habet *Greg. Teretius Ord. S. Pauli in directorio pag.* 271. hinc etiam S. Franciscus Borgias, cùm Novitios quosdam Societatis deprehendisset sine speciali devotione ad B. V. monuit Magistrum Novitiorum, ut impensiùs saluti eorum attenderet, futurum enim, ut deficiant è Societate, qui se non dicant Magnæ Matri precibus quotidianis: *ut testatur*

Imago

Imago primi sæculi Soc. lib. 1. *cap.* 5. *pag.* 76. Scilicet frustra quis putet, se gratias aliter derivaturum à Deo, quàm per eam, quæ juxta Idiotam, de B. V. part. 5. contem. 5. *canalis est, per quem fons Divinæ gratiæ, ad universitatem humani generis redundavit.*

Advertit hoc Dux ille Populonensis, apud Lechner *in sodali Parthen. lib.* 1. *cap.* 8. qui cùm toto coram orbe morti vicinus protestatus esset, se quidquid virtutis haberet, id totum à MARIA accepisse, filium suum his compellavit. *Et tu fili*, ait, *Sodales exora, ut te in suum consortium admittant, hac hæreditate nihil præstantius est, quod tibi relinquam*: apud eos sugitur de lacte Matris benedictæ, bibitur spiritus MARIÆ, gratiæ & virtutes uberiùs conferuntur. At non vacat his immorari, nàm ea, quæ cap. 1mò. & 2do hìc exposuimus, facilè huc applicueris.

CAPUT 6tum.

Quem MARIA adoptat in filium, ei providet de hæreditate æterna.

POrtum attigimus, quem hactenus in mari gratiarum fluctuantes respectabamus, dum

diceremus cum Bonav. in psalt. *Deduc me in portum salutis, ac per te inter justos scribatur nomen meum.* Fas erit excensionem facere, portusq; intrare licebit. Quem verò hoc rerum articulo reris statum filiorum Marianorum; *qualis erit,* ait Hieron. ep. de Cust. Virg. *illa dies, cùm Diva MARIA Mater Domini choris occurret comitata Virgineis:* si enim personam filii ipsam cogitem, puto eum præ vehementia gaudii dicturum illud, quod de Deo dicit Cicero: lib. 1. de nat Deorum. *Comprehende animo, & propone ante oculos Deum nihil aliud in omni æternitate cogitantem, nisi, mihi pulchrè est, & ego beatus sum.* Si dulce commercium cum fratribus aliis considerem: quàm putes bonum, & quàm jucundum habitare fratres in unum: credo dicet, non unus, quòd nuper Sodalis ille Dolanus moriens, apud eundem P. Lechner in Sod. Parthen. lib. 2. c. 5. § 15. *O quàm bonum est Matri in ejus sodalitate famulari.* Si deniq; conjunctionem cum Matre tam amata cogitem, puto dicturum, quód Sancta illa anima è Societate IESU apparens P. Hieremiæ Fischero, dixit: *Mihi penes B. V. bene est;* de qua testatur Nadasi in anno dierum memorabilium 23. Maii.

Quod attinet personam præmiandi, præter dotes aliis beatis communes, videtur habi-

turus quaspiam speciales, quibus discernatur ab aliis, filius MARIÆ; quantò enim magis hæc nota sit filiorum, cùm sit futura servorum, ut docet Niremberg ius, de am. B. V. c. 10. & Pelbart9 in ste lario, Virg. lib. 2. cuj9 hæc verba sunt: *Sicut servi Regis & Reginæ in curia regiæ certis notabilibus clenodiis deaurati procedunt, per quæ agnoscuntur esse servi Regis & Reginæ, & speciali purpurâ vestiti ambulant: ita in curia cælesti servi Virginis speciali ornatu & gloria, quâ præ aliis Sanctis decernantur, quod servi sunt MARIÆ fulgebunt iuxta illud prov. 31. Omnes domestici ejus vestiti sunt duplicibus.* Character hic ornatus erit, & insigne, quo discernatur inter filios MARIÆ, & filios diffidentiæ, imò & inter alios filios Dei, si tamen aliquis potest esse filius Dei, qui non sit & MARIÆ filius specialis. Qui quidem ornatus ita formosus erit, ut Angeli dicere possint illud Cant. 3. Egredimini filii Sion, & videte Regem in diademate, quo coronavit eum Mater sua: si enim adhuc in carne mortali exules, quod ait S. Sophronius Patriarcha Constantinop. 30. Jan. in vesp. de S. Basilio, *de cælo prospiciens universorum Regina, suarum laudum declamatores benedictionibus coronat*: si hîc servire MARIÆ, regnare est, quid putas erit, quando dies solennitatis & præmii pro his omnibus

omnibus adveniet. *Exulta*, ait Bonav. in psalt. ps. 43. *anima mea, & lætare in illa, quia multa bona sunt ejus laudatoribus præparata.* Bene Septuaginta Interpretes illud prov. 31. Surrexerunt filii ejus, & beatissimam prædicaverunt, *ita legunt*: surrexerunt filii ejus, & divites facti sunt.

Quod alterum concernit, scilicet convictum felicem cum iis, quibus sicut una occupatio fuit in terris laudare MARIAM, sic unum præmium erit; hujus dulcedinem ille solus non capit, qui ignorat quàm dulcis sit talis fraternitas Ego certè cùm beatum hunc circulum considero, cujus centrum MARIA est, non possum non velle inseri tali Societati, quâ felicior alia sub Deo nequit intelligi.

Cercidæ Megapolitani, ut refert Ælianus, lib. 5. nat. hist. c. 20. morientis vox erat, se libenter mori, quia à morte sua visurus esset ex Philosophis Pythagoram, ex historicis Hecatheum, ex Poëtis Homerum, ex Musicis Olympum: corrigo votum carnalis hominis, qui non sapuit ea, quæ sunt spiritûs; libenter morerer, si scirem, me à morte jungendum Societati, in qua ex Apostolis Joannes, ex aliis Deo dilectis maximi quiq; Sancti, imò ex ipsa Trinitate Unigenitus Filius Dei, sunt filii MARIÆ; quanto putas gaudio replerentur ossa mei morientis, si id scire contingeret, utiq;

nihil aliud dicerem, quàm mihi penes B. V. bene est, & ego beatus sum: Corrigo item, vel saltem addo votis Augustini dicentis, se optare videre Romam triumphantem, Paulum prædicantem, Christum conversantem; addo inquam votis his & illud: videre filios MARIÆ præmiatos, deq́; eorum albo esse, de eorum præmiis participare.

Hæc quidem erit gloria filiorum MARIÆ, neq́; tamen in eo sistetur: non capio me, cùm centrum ipsum circuli considero, ipsam scilicet Virginem Matrem, è qua velut è centro in omnem partem circuli, seu peripheriæ transeunt lineæ, in omnes cælites bona quædam gloriæ accidentalis effunduntur: verba deficiunt, cùm eam loqui debeo, quæ, ubi duo vel tres congregati sunt, in medio est: amabo vos, si non in ea est illa pulchritudo, cui convenit illud Platonicum: Pulchritudo ipsá si oculis cerneretur, mirabiles in se amores excitaret: an non illa tota pulchra, in qua non est macula, illa, de qua S. Greg. Nicomediensis: orat. de oblat. B. V. *O pulcherrima omnium pulchritudinum! ó Dei genitrix, pulchrorum omnium ornamentum!*

S. Hieron. ep. 25. ad Paulum, de obitu Blesillæ sic inducit hanc compellantem Matrem suam: *Putas me esse solam, habeo pro te MARIAM Matrem Domini.* Felix profectò

hujus mutatio fuit, nam pro Matre terrena, accepit cælestem, pro Paula, MARIAM: Sed non unius tantùm hæc felicitas fuit, omnium est electorum, singulariter tamen eorum; qui dum viverent, eam acceperunt in sua: præclara hæc hæreditas, & mutatio est, in qua Mater fit illa, quæ mille matribus potior est. Experta est hujus mutationis excellentiam Seraphica illa Virgo Theressia adhuc vivens in terris, de qua hæc habet Breviar. Rom: *Cùm mortua matre à B. V. peteret, ut se Matrem esse monstraret, pii voti compos effecta est, semper perinde, ac filia Deiparæ patrocinio perfruens.* Expertus Sanctus ille Comes Elzearius, de quo Christus, oranti pro eo nobilissimæ Matronæ Gersendæ dixit: *Noveris me ei dedisse Matrem meam magistram; nihil igitur de illo dubites*: de quo Surius 27. Sept. in vita. Experta tot millia Sanctorum feliciter hodie regnantium in cælis, quibus bene est penes Deũ Patrem, & MARIAM Matrẽ.

Ajunt è muris templi Matris Deorum (quam etiam Potentiam vocant) flammam vivam erumpere die, ac nocte, in regno Mogor, cujus Matris nomine putatur coli Deipara, ex aliquibus vestigiis à S. Thoma Apostolo inibi relictis. E glorioso corpore B. V. quòd meritò templum Dei animatum vocatur à Patribus, flamma viva jugiter erumpit in cælis,

quæ suos illuminet ea luce, cujus umbram cum vidisset S. Dionysius Areop. exclamat: ep. ad S. Paul. *Fateor coram Omnipotentia Dei, & clementia Salvatoris, & gloria Majestatis Virginis Matris ejus, quoniam cum à Ioanne, verba Evangelii doctus fui, ad Deiformem præsentiam altissimæ Virginis, tantus me splendor circumfulsit exterius, & plenius irradiavit interius, ut nec corpus infelix, nec spiritus posset tantæ Majestatis insigne sustinere*: imo alibi *id est* lib. de div. nom. cap. 3. fatetur, *quod cùm ad contuendum corpus illud, quod dedit principium vitæ, venisset, tantus ei splendor affulserit, ut Deam credidisset, nisi eum alius fides docuisset.*

Applica sis & tu fili MARIÆ sensus tuos; quid aliud videbis in hac Sunamite, nisi choros castrorum? choros inquam illos, qui lætificant civitatem Dei: Vide quanta assistat in vestitu deaurato Regina & Mater tua Deo tuo, audi loquentem de te: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacuit; *cognosce fili*, verba hæc sunt S. Clementis Romani, quibus incitabat Christianos ad reverentiam Antistiti exhibendam: 2. Const. Apost. cap. 32. *cognosce fili dexteram, quæ est Mater tua*, dexteram olim in te profusissimam, cùm exulares in terris, nunc autem extensam ad amplexandum te, ac recipiendum in æterna taber-

tabernacula: vide beatissimum illud corpus non humanis manibus præparatum; animam illam, quam Dominus solam ex omnibus soli sibi ornandam reliquit, & replebere voluptate ea, quam lingva exprimere non potest humana: Sanè si unius justi anima ea est, ut rapiat cor intuentium illam, quemadmodum S. Catharina Senensis suo dicebat Confessario: O Pater, si tibi concessum esset intueri animam hominis absq; peccato, in gratia constitutam, propter amorem & salutem animæ tuæ, in prædam te dares cuilibet tribulationi, tormentis & cruciatibus quibuscunq; & pati non unam duntaxat, sed mille mortes eligeres: quantùm putes rapiet anima Virginis, cujus decor ipse Deus est? si unius animæ de communi Sanctorum ea est pulchritudo, ut S. Bernardinus Sen. serm. 21. de animæ dignitate art. 1. cap. 3. audeat dicere: *Si formarentur tot cæli empyrei, quot sunt aquarum guttæ, quot sunt grana arenæ maris, omnis pulchritudo eorum simul sumpta non posset æquari pulchritudini unius animæ*: quantam putes formam animæ Reginæ cælorum, & Sanctorum omnium, de hac quidni illud dixeris ejusdem Bernardini, *Mensura pulchritudinem Dei, ad cujus imaginem facta est anima, mensura & potentiam, quâ potuit, sapientiam, quâ novit, & voluntatem, qua voluit illam sic creare*

creare; & intelliges pulchritudinem ejus aut illud S. Augustini, vel potius Fulberti Carnotensis operum S. Aug. tom. 10. in appendice serm. 83. *Si formam Dei te appellem, digna existis.* Audi iterum plena salutis loquentem de te, tuiq; similibus, gemina illi, quæ loquebatur Pater ille apud Xenophontem, *in sympos.* qui cùm varii varia sua jactarent, dixit: *Ego glorior in meo filio:* & filius: *Ego glorior in meo Patre.* O voluptas! o gaudium! Fili MARIÆ vix capio me, quin agam tecum, quod S. Leonides Martyr egisse fertur cum filio suo parvulo Origene, qui cùm Divina revelatione didicisset filium Divinâ scientiâ replendum, sæpe sæpius adiit cunas dormientis, & stragulis, quibus operiebatur denudatum pectus, acsi sacer spiritus ipsum jam tum inhabitaret, suavissimis lachrymis irrigabat, ut ex Eusebio Cæsariensi *lib. 6. instit. c. 2.* refert Baronius. *Anno* 204.

At manum à tabula moveo, cùm scribendæ voluptati non sim, quam percipiet filius MARIÆ in domo Matris. Quod tamen priusquam facio, monitum quemq; volo, soli illi obventuram hanc felicitatem, qui exemplum Iunii Bruti, sequetur, de quo habet Livius *lib. 1. dec. 1.* & Val. Max. *lib. 5. cap. 3.* quòd cùm ex oraculo didicisset, eum Regem futurum, qui primus omnium, Deorum matrem deoscularetur

laretur, continuò ille jacens humi, Matri dedit oscula terræ; monitum inquam volo quemq́; soli illi obventuram eam felicitatem, qui dum viveret, Matri oscula, id est amorem, ac venerationem exhibuerit. At de hoc pleniùs statī.

SECTIO SECUNDA.

Obligatio Filiorum MARIÆ, maximè ad amorem Matris.

VIdisti felicitatem tuam fili MARIÆ, vide sis, quid nomine pollicearis: filii nomen, amoris nomen est, ama ut filius sis, aut filius esse desine. Cypriani tract. de orat. domin. est illud: *Quando Deum Patrem dicimus, quasi filii Dei agere debemus, ut quomodo nos nobis placemus de Deo Patre, sic ille sibi placeat de nobis*: quod ego huc referens ajo: Quando MARIAM Matrem dicimus, quasi filii MARIÆ agere debemus, ut quomodo illa nos amat, sic & nos eam amemus: certè sicut Mater non est, quæ filium odii gladio à se dividit, sic nec filius, qui se per divisionem amoris separat à Matre: quod magìs verum est in filiis adoptivis, horum enim generatio, ut suprà diximus, radicatur in amore solo, cujus radix

dix cùm ſiccatur, tota perit arbor, & filiatio. Servit huc illud B. Gratiæ de Valentia ex Ord. Minim. apud Barry *in Anno ſancto* 17. *Oct.* quæ quæſita, quantùm ab homine Deus diſtet, reſpondiſſe fertur: quantùm à corde amor. Tantùm quippe quisq; à filiatione diſtat, quantùm amor diſtat à corde: Amas? filius es; non amas? extraneus es. *Quam quæris aliam* (ajebat Bern. ſerm. 83. *inter ſponſos* (Matrem & filium) *neceſſitudinem & connexionem, præter amari & amare*; amor character eſt filiorum, & veſtis aurea, quæ diſcernit domeſticos ab alienis, imò virga Circæa eſt, aut, ut loquitur Sen. poculum amatorium ſine herbis & veneficiis, quod alienos etiam transformat in filios.

Porro hæc neceſſitas amandi cumprimis incumbit adoptivo Mariano, nam unus amor differentia eſt, quâ hic ab aliis filiis diſtingvitur; alii quippe non per hoc naturam exuunt, quod oderint; cùm & degeneres pulli ad ſtirpem referantur, & improbus Abſolon, ac illuſor Cham, filii maneant Patrum ſuorum: hic verò ita reſpicit amorem, ut quamprimum iſte ſublatus fuerit, tollatur tota relatio filiationis.

Ama inſcriptum torqui ſuo habebant equites ex ordine ſpicæ ſeu ariſtæ, quem Anno 1450. fundaverat Franciſcus Primus Britanniæ Rex, ut teſtatur Nadaſi. *Anno Euchar. part.* 3. *hebd.* 36. Ama in ipſo nomine MA-

RIÆ

RIÆ habet filius MARIÆ, nam si anagrammaticè paululum immutes sacrosanctum nomen MARIA, amari sonat, ut per hoc significetur amari debere ab omni eo matrem, qui cupit venire in sortem filiorum. *Interroget se*, ait Aug. in ps. 64. *quisq; quid amet, & inveniet unde sit civis, & si invenerit civem Babyloniæ extirpet cupiditatem, plantet charitatem.* Interroget se quisq;, an amet MARIAM, & inveniet se ejus esse filium. Anselmi est illud lib. de excellentia Virginis cap. 4. *Qui in dilectionis erga MARIAM suavitatem transit, non diffidendum, quin in retributionis ejus,* (dic tu filiationis) *participium transiturus sit.*

Quæ quidem ratio cognoscendi, si aliàs fallit, nunquam fallere potest in filiatione Mariana, amorem ejus qui habet, speculum habet, imaginem matris referens; acum magneticam habet, quæ unum semper polum refert, fructum habet, qui unam solum radicem refert; oportet accipiat MARIAM in sua, id est, ut Patres explicant, amore suo feratur in Matrem, qui Joannes ejus, & filius esse vult; secus si faxit, alienus est, & ad MARIAM non pertinet.

In vita B. Catharinæ Genuensis lego, quòd dæmon quæsitus ex energumeno, quomodo vocaretur? responderit, post multam tergiversationem

giversationem: Nomen meum est sine amore Dei: Agnominem huic, & cognatum, ac quasi ex una arbore consangvinitatis putidum fructum bene vocaveris illum; qui sine amore MARIÆ est: nam & hic alienus est, & ad MARIAM non pertinet, & affinis hæreditas ejus est cum filiis diaboli, mereturq; ut de se dicatur illud: Qui MARIAM non amat, anathema sit: sicut è contra ad MARIAM pertinet, cujus cor oleo & igne amoris Mariani plenum est.

De Angelico illo juvene Ioanne Berchmans è Soc. IESU testis est vita ejus, eum identidem exardescere solitum in amorem Deiparæ, palamq; profiteri: *Si MARIAM amo, certus sum de salute mea, & in religioso statu perseverantia, certus insuper sum, me omnia, quæ voluero, impetraturum à Deo, adeoq; quodammodo Omnipotentem fore.* Bene hic signum in bonum posuit in amore Deiparæ, qui enim MARIAM diligit, arrham habet mutuæ dilectionis, & filiationis: Ama illam, & certissima nota filiorum ejus in te est; ama autem amore vero, id est, amore, ore, re, seu ama continua cogitatione, verbo & opere, ama toto te: quo in modo amandi imitabere amorem beatorum, imò ipsius Dei, cujus sicut una occupatio est esse in actu semper intelligendi, sic etiam una est, esse in actu semper a-

mandi, idq; tantùm amandi, quantus Deus ipſe totus eſt. Quem amandi modum ut teneat, & exequatur filius Magnæ Matris, eum ſequentibus exponam capitibus, in primo quidem docebo amare more, id eſt ſemper, in ſecundo ore, in tertio, re.

CAPUT 1mum.

Filius MARIÆ amet Matrem ſuam more.

PHilo ex ſomniis Rabbinorum refert, quòd Deus, abſoluto opere ſex dierum, quæſiêrit adſtantes intelligentias; quid adhuc in creatione univerſi deſideretur? reſpondiſſeq; unam ex iis: deſiderari vocem, quæ ab Occidente in Orientem protrahatur, & perpetuò canat illud: *Omnia in ſapientia feciſti*. Me ſi quis quærat, quid in filio Mariano tantas inter opes adhuc deſiderem? facilè reſpondebo, me in eo deſiderare tale cor, quod ardeat igne inextingvibili amoris erga Matrem; tale os, quod ſolùm & ſemper loquatur de amore MARIÆ: talem naturam, quæ aliquo tempore non amare neſciat. Sanè ejuſmodi filius æmulator mihi eſſe videretur

deretur Seraphinorum, nam sicut hi ex amoris abundantia incessabili voce proclamant suum illud trisagium Deo suo, sic & iste sine fine amans, jugiter cantaret canticum amoris Matri suæ: ejusmodi cor lampas esset, cujus oleum esset nomen effusum MARIÆ, ignis amor: ejusmodi os cithara foret, cujus Echo allisa ad cor Matris incredibilem eliceret suavitatem; ejusmodi natura omnem transcendens naturam, omniq; natura nobilior esset.

Fuisse se aliquando *naturâ filium iræ, sicut & cæteros* lamentatur Apostolus: Ephes. 2. naturâ filium amoris Mariani esse aliquos, meq; ipsum cumprimis optarem; ut sicut ignis natura est vivere, aquæ frigefacere; sic mea esset, nunquam satis amandam Matrem diligere: quo ego casu in ipsa natura supra omnem naturam evectus, jugiter ac lætus canerem: Quis me separabit à charitate MARIÆ. Neq; vero, quia talem homini meo non dedit naturam factor meus, minùs amare possum, aut debeo, cùm quod ex natura non habeo, habere possim ex virtute, si voluero. Quod quidem genus amandi tantò excellentius est altero, quòd ad amorem necessitaret; quantò plus excedit libertas necessitatem, amor voluntarius coactionem, virtus naturam. Addo quòd in mea potestate sit hanc ipsam mihi conferre naturam, quæ perpetuò amet; si enim frequens fuero,

fuero in exercitio amoris; qui mores fuerunt, paulatim natura fient, secundùm quod dicitur: consvetudo altera natura; quæ quidem natura cùm virtute acquisita sit, longè nobilior est, quàm si accepta fuisset per gratiam creationis, quemadmodum Patres docent nobilius esse fieri Angelum per virtutem, quàm talem creari.

Talem naturam habuisse videtur Raymundus Lullus, qui omnia opera sua ab amore proficisci dicebat: quæsitus enim quid ageret? ut plurimùm respondebat: opus amoris: cujus esset? amoris: unde veniret? ab amore: quo pergeret? ad amorem: habet id de eo Barry *anno Sancto fer. sexta post Pentecost.* Talem naturam amandi Matrem habere debes fili MARIÆ; ut tota tibi vita amor sit, totæ & omnes actiones tuæ, eæ etiam, quæ de genere, ut vocant, indifferentium sunt, opera amoris, nec quidquam tam vile feceris, quod non in amorem liquetur.

Euchaitarum meminit S. Aug. *hæresi* 57. qui sic dicebantur ab assidua oratione, eò quòd ad literam vellent intelligi illud 1. Thess. 5. *Sine intermissione orate.* Euchaita citra hæresim & errorem, seu perpetuus amator Matris esto Mariane, ita ut nullum momentum in tempore reperibile sit, quo dici posset de te: nunc non amat, aut nunc omittit amorem, sicut nullum in tempore reperibile est, quo dici

possit

possit de vivente: nunc non vivit, aut de natura: nunc natura non est natura. Et certè, æquum est ejusmodi naturam inesse omni filio, quem recipit pia Mater hæc; cùm enim Matris amor stabilis sit, ac perpetuus, parum redderet filius, si daret amorem, qui de genere bonorum transeuntium esset, ac, ut ajunt, tantùm talis per occasionem: neq; etiam ego judicarem verè talem amare, qui identidem tantùm amaret, aliàs autē nihil minùs faceret, quàm amaret.

Ast inquies optandum quidem esse talem amorem, sed non facilè sperandum, eò quòd intentus ad alia homo ab uno se amore non facilè teneri permittat: cui talia metuenti, id respondeo, quòd ars artium ars amoris sit, quæ etiam plures modos invenit, ad hoc perveniendi facilè; quòd aliàs impossibile videbatur obtentu. Horum aliquos hìc subjicio: te imitari non pigeat, quod habere delectat.

Modus primus semper amandi B. V. per viam intentionis.

SI cuipiam agendum illud suaderem, quòd suasit S. Greg. Nazian. orat 2. de cura pauperum

perum, inquiens: *Non tam sæpe respirare oportet, quàm Dei meminisse*, rem factu impossibilem suaderi sibi multi judicarent, quis enim ita ipsi respirio affixam habeat mentem, ut nec unum sibi ex iis elabi patiatur, quin illud præveniat, aut sequatur memoria Dei? quis item frequentiâ cogitationum istarum excedere possit ipsa respiria, quorum velocitatem assequi non potest humana cogitatio? Scio quidem Augustini esse vocem illam: *Quoties suspiro, aut respiro, ad te suspiro Deus meus!* an autem non merum in hac voce votum fuerit, dubito. Ita quidem non-nemo opinabitur: si tamen pænitiùs rem inspiciat, deprehendet omnia hæc probè fieri posse per artem amoris: ingeniosus iste artifex est, ipsa etiam respiria, ipsos arteriarum motus, imò ipsas motuum pausas viva de Deo cogitatione, & qui ex ea oritur, amore prævenit, suosq; in actus convertit.

Summorum artificum, teste Cabæo, oraculum est, illum omnem assecuturum artem, qui ignem regere noverit. Artem artium artem amoris, idq; amoris continui facilè didiceris; si ignem regere noveris. Porro ignis nomine accipe rectam intentionem, quâ mediâ, mirabiles conversiones & effectus amor facit, dum ipsas actiones hominis naturales, ipsaq; respiria de genere operum eximiæ charitatis esse facit, dum opera ex se indifferentia, ac ferè

non

non digna nomine operum, ad statum superna-turalem elevat, ac vix non ipsas omissiones amoris facit esse opera amoris.

Plinius aliiq; naturalistæ docent, quòd sicut semen bonum per multam pluviam convertitur in lolium, sic lolium multo solis calore in triticum converti posset; quod ipsis propè oculis videmus: nam transportata semina è frigidioribus in calidiores regiones, multùm meliorantur. Caloris emanati ab amoris igne, scilicet intentionis, virtus est, ut lolium seu opera non multùm lolio meliora in nobile triticum, hoc est in consummatum amorem transmutentur. Quo in genere videtur mihi hæc virtus amoris, scilicet intentio, habere quandam quasi proportionem cum unione hypostatica, nam sicut vi unionis hujus actiones fiunt Theandricæ, sic vi intentionis, omnes actiones fiunt actiones amoris: item cum Sacerdote consecrante; sicut enim hic per verba consecrationis convertit panem in corpus & sangvinem Domini; sic per intentionem convertuntur abjectissimæ actiones in opera amoris excellentissimi; imò ferè non cum virtute Dei, sicut enim per hanc res ex se naturales supernaturalia operantur, sic per intentionem actiones naturales, operationes sunt supernaturalis charitatis. Bene S. Isidorus: lib. de contem. mund: *Tale*, inquit, *erit opus tuum, qualis est intentio tua*;

odium

odium erit, si radix vitiata fuerit; amor erit, si ut actus imperatus ab imperante, processerit ex amoris intentione. Illud Cant. 1. v. 4. *Recti diligunt te*, septuaginta legunt: *Rectitudo dilexit te*. Rectitudini enim intentionis hac virtus inest: ut omnia opera transformet in amorem; adsit illa, & opera ex se vilia; exeunt quodammodo à se ipsis, pereunt ac moriuntur sibi, vivunt autem Deo, transeuntq; in Deum, qui Charitas est, ac deificantur. Bene Blosius: expeditissima, inquit, ratio perveniendi ad sincerum Dei amorem est, ut amore ejus & honore movearis ad agendum: addere potuisset; expeditissima ad amorem Dei perpetuum ratio perveniendi est, ut amore ejus & honore movearis ad agenda omnia, quæ agis, juxta monitum Apostoli 1. Cor. 10. dicentis: sive manducatis sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.

Tenes opinor artem semper amandi, adoptive MARIÆ, quam si practicaveris, tibi illud serviet, quod Lacæna illa mulier dixit filio è bello reduci, ibiq; claudo effecto: Macte animo fili! nunquam gressum pones sine revocatione virtutis: macte animo & tu! quia nunquam movebere sine actione amoris; omnis enim motus tuus, motus erit amoris.

Clemens Alex. pædag. lib. 2. c. 11. meminit quorundam, qui in aureis clavis subter

calceos amatoria verba insculpserant, quæ, dum in arena relinquebantur, legi possent ab amasiis: alio clavo opus non est quàm intentione orta ab amore; hæc toties verbum Amo, scribet non in pulvere, sed in corde Matris tuæ, quoties gressum pones, imó quoties respirabis, aut suspirabis: & quamvis aliquando nihil minùs recordatus fueris, quàm amoris, quia tamen opus tuum ex virtuali, ut vocant, intentione amoris procedet, opus amoris erit: ferè sicut signum ad placitum rei significatæ signum est, etiamsi reflexè non cogites de actuali significatione illius.

Et hoc quidem signum in bonum, magni semper fecerunt servi Dei, docti ab Apostolo, sive manducent, sive bibant, sive aliud quid faciant, omnia ad gloriam Dei facere; quod quidem ita familiare fuit S. Ignatio, ut ipsius tesseræ videatur, nihil enim ei in ore frequentius, nihil in corde & charta, quàm illud suum: Ad Majorem Dei gloriam: hæc ei quasi proverbii loco erant, his opera & virtutes suas præveniebat, comitabatur, & quodammodo condiebat, ac subsequebatur. Certè P. Hadrianus Lyræus *in apoph.* testatur in solis regulis ab eo scripta esse 188. vicibus, nimirum in Constitutionibus 117. vicibus, in Examine 27. in Declarationibus 44. De P. Nicolao Lancicio, viro per orbem famâ sanctitatis celeberrimo te-

stantur

stantur graves Scriptores, eum eò sanctitatis pervenisse; ut singulos passus incedens, & singulas literas scribens, amore Dei faceret ac offerret. *P. Pawłowski in locut. Dei ad cor.*

Singularis in eo genere fuit P. Gaspar Drużbicki, ut patet ex scriptis ejus, maximè refertis actibus intentionis Divinæ, qualis inter alios est ille, quem tradit in libro cui titulus est provisionum senectutis. *Provisione 6.*

Sanctissima Trinitas unus Deus, Dominus meus: Ego N. servus tuus, me totum & totam substantiam meam, & vitam & omnes actiones, passionesq́; meas totius vitæ meæ: in specie autem omnes hujus diei tam ordinarias, quàm extra ordinem improvisò incidentes, omnes quoq́; earum circumstantias, omnibus & singulis specialiter intersertas, adjunctasq́; atomos item earum & momenta, mutationesq́; singulas: creaturæ quoq́; Tuæ cujuslibet substantiam, actionem, passionem, mutationes, momentum, atomum, circumstantiam quamlibet Tibi, pro me, proq́; omnibus creaturis mihi impersonatis, offero semel pro semper ad hoc quidem,

1. Principaliter: Ut intentiones, voluntates, gustusq́; Tuos Divinos tam internos quàm externos, etiam quantum ex me, approbem, impleam, honorem, imiter.

2. Ut etiam intentiones IESU Christi

omnes erga te Patrem ſuum æternum, erga ipſum ſe, erga hoſtes; habitas honorem, æmuler, impleam.

3. Tum verò ſecundariò ad hoc: Ut Tibi Deo Domino meo pro omnibus, cum omnibus & per omnes, amorem, laudem, adorationem, exaltationem, obedientiam, timorem, fiduciam, reverentiam, omnemq́; debitam religionem, ac devotionem exhibeam, non exhibitam verò aliquandocunq́; ſuppleam.

Ut exaltem, imiterq́; IESUM Chriſtum, & ejus Pretioſiſſimam Parentem, Sanctosq́; omnes.

Ut adorandam voluntatem Tuam omnem, bonam, beneplacentem, ac perfectam expleam, eiq́; me perfectè conformem ſemper, omnimodè, per omnia, ſponſaliter, transformativè. Et hoc quidem ad ſaginandum guſtum Tuum Divinum millies, millies, infinitiesq́; majore proportionaliter glorificatione: cum millies, millies majori proportionaliter fervore, ac ferventiore exercitatione, cujuſlibet atomi ac momenti ſuper aliud, cujuſlibet actionis ac paſſionis ſuper aliam, cujuſlibet circumſtantiæ ac mutationis ſuper aliam. In unione ac balneo Pretioſiſſimi ſangvinis, meritorumq́; IESU Chriſti, Pretioſiſſimæq́; ejus Parentis, Sanctorumq́; omnium triumphantium ac militantium, quia Tu ita vis, & dignus es Deus

meus

meus, & quia ita ego debeo velle, voloq; debere Tibi Uni, Trino Deo meo. Propter nullum bonum meum, quatenus meum, sed propter omne bonum Tuum, quatenus Tuum, ad exaltandum Te juxta mensuram indignitatis meæ, in æternum & ultrà, quamdiu Tu Deus eris Deus.

Quibus accensenda videtur S. Maria Magdalena de Pazzis, cujus hæc frequens vox erat: ut habetur in Vit. cap. 75. *Si crederem me uno solo verbo dicto ob alium finem, quàm ob amorem Dei posse evadere Seraphinum, nunquam illud dicerem.*

Huc refer omnes illos, qui pactis ceu quibusdam vinculis, colligant operibus suis amorem, dum v. g. dicunt, toties te amo, quoties arteria mea movebitur, quoties respirabit creatura, quoties ad aliquam actionem meam concurret Omnipotentia Dei: &c.

Quo genere pactorum *nullum esse eminentiorem & utiliorem modum Deum amandi* ait P. Stephanus Binettus, *in praxi Divini amoris c.* 29. ubi inter cætera, sic cum Deo paciscitur. Dignare Domine pactum amoris mei admittere, quo paciscor tecum, ut, quoties oculos in cælum elevavero, ille actus sit interpres cordis & amoris mei, quo tibi offero omnem omnium creaturarum amorem, quo te amant Angeli tui, & quidquid creatum

est

est. Qui si esset in mea potestate, vellem te omnibus omnium creaturarum voluntatibus toties amare; quoties cælum aspicio. 2do quoties respiro, vellem in cor meum omnia omnium Angelorum hominumq; merita attrahere, ut aërem attraho, & eadem, modico meo amore adjecto, tibi reddere, tibi offerre cum amore illo, quo ipse te amas. Benedic anima mea Domino & omnia quæ intra me, & extra me sunt nomini sancto ejus. 3tio sicut Moysi dixisti Deus: Aaron frater tuus erit os tuum, & Advocatum dedisti nobis IESUM, qui assisteret vultui tuo pro nobis: ita desidero non meo tantùm, sed & illius corde amare te, loqui tibi, offerre cor meum & omnia corda tibi. Ille sit spiritus oris mei, quo te orem, cordis, quo te amem; operum, quibus amorem meum exerceam. Id quod ego non habeo, do ex infinitè infinito thesauro amoris, quo ille te amat. Ille amor solvat debita mea tibi, offerat opera mea tibi, sacrificet cor meum tibi, ut sit holocaustum in odorem suavitatis: Cum illo omnia nobis donâsti: omnia ego cum illo vicissim, & me dono simul tibi. Malo ut tu me habeas, quàm ego me, Domine. Si quis melior te amandi modus mihi occurreret, illo te amarem, & hunc renovatum volo, quoties usurpo hanc vocem; Deus!

Imitare hos quisquis MARIAM amas, & verè de te dicere potero, quòd amorem ejus

ſemper portes in pectore, nec unquam ceſſes à dilectione Matris tuæ; qualiter de S. Cæcilia Martyre & Virgine canit Eccleſia, quòd *Evangelium Chriſti ſemper gerebat in pectore ſuo, & non diebus, neq; noctibus à colloquiis Divinis & oratione ceſſabat.*

Modus ſecundus ſemper amandi B. V. per viam intenſionis.

EPhes. 5. monet Apoſtolus, ut redimamus tempus: *videte*, inquit, *quomodo dignè ambuletis, non quaſi inſipientes, redimentes tempus*. Mirabile hoc monitum videtur, ſcienti, quoniam nec quæ præteriît, curſu revocabitur unda, nec quæ præteriît hora redire poteſt; mirabile, inquam, non tamen impoſſibile, ſcienti, quanta ſit virtus amoris, cùm operatur tota intenſione ſua; reducere ille ſcit diem, quam perdideras, & incauto tibi elabi paſſus fueras, reſuſcitare novit horas, ac ab interitu vindicare non revocabile tempus; velit: & conſummandus in brevi explebis tempora

multa

multa; velit: & redibunt anni, quos voravit locusta, bruchus, & rubigo; velit amor & in horologio Achaz redibit Sol decem lineis, suppetet modus tanta faciendi in brevi hora; quanta fecisses, si singulis diebus lineam æternitati pinxisses.

Docent Philosophi cum D. Thoma per unum etiam actum acquiri posse habitum, eò quòd unus sæpe æquivaleat pluribus remissis: & patet experientiâ, nam multi post insigniorem sui victoriam in ardua virtutis materia facilitatem miram in eodem genere virtutis acquisiverunt, quemadmodum de S. Francisco Xaverio tradit Tursell. in vita, quod post unam illam heroicam sui victoriam, quâ pus fætidum suxit ex ulcere ægri, summam ad ejusmodi obsequia facilitatem habuerit, à quibus mirum, quantum ante abhorruit; imò quid dico facilitatem, unus actus non rarò magnam confert sanctitatem; qualis videtur fuisse ille actus boni Latronis, inter opprobria crucis confitentis Dominum, quem crucifixerunt Iudæi: qualis fuit actus ille S. Ioannis Gvalberti condonatis injuriam occisori fratris sui unicè dilecti: item ille illius magnæ servæ Dei nomine Blonda ex Ord. Servit. cui cùm à morte viri ac parentis unicum à morte solatium filius occisus esset, cùmq; insuper ab occisoribus pietatem simulantibus, ut pleniùs in Matrem sævirent, corde

occisi

occisi filii sui pasta esset, hocq́; insuper ab iisdem illis insultantibus afflicta ipsa rescivisset; ubi heroicâ fortitudine injuriam hanc crucifixo donat, in aliam mulierem mutata, absolutissimum numeris omnibus sanctitatis exemplar facta est: ut refert Barry *in anno Sancto*. Quod ipsum etiam verum est in actibus amoris, è quibus unum si posueris intensum, ac, ut vocant, heroicum amoris actum, plura feceris, quàm si continuò operatus fuisses remissa opera amoris. Porro quæris, in quo consistat hæc intensio amoris?

Philosophorum alii docent intensionem consistere in majore radicatione qualitatis alicujus; alii in additione gradus ad gradum. Intenditur amor si magìs radicetur in cordibus, radicatur autem magìs, si magìs depuratus fuerit à contrario, id est, si amor fuerit propter ipsum purum amoris bonum, & non propter aliquid aliud evanidum, vel si magìs unitus in corde, & minùs ab eo separabilis fuerit, quantumcunq́; hoc facere ausit mors, an gladius, an fames, an aliud aliquid malum. Intenditur etiam amor per gradus, si uni alterum nobiliorem adjicias; sic enim intra breve temporis spatium, ascendis amoris sublimitatem, ad quam semper amando non pertingerent, qui has ascensiones in corde suo non disponerent. Sed ut propiùs ad rem nostram veniamus, gradus amoris Mariani varii sunt.

Pri-

Primus est Complacentiæ; hunc ascendit, cui nihil æquè placet ac laus MARIÆ, & amor: hic illi somnum & vigilias dulcorat, hic condit cupedias, hic labores lenit; in hoc gradu qui consistit, quod Bernardus *serm.* 15. *in Cant.* de SS. nomine IESU habet de MARIA intelligit: *Si scribas non sapit mihi, nisi legero ibi* MARIAM, *si disputes, aut conferas, non sapit mihi, nisi sonuerit ibi* MARIA; MARIA *mel in ore, in aure melos, jubilus in corde.*

Alter gradus est benevolentiæ; hunc ascendit qui amat MARIAM propter MARIAM, id est, qui ei bona vult, quia ei soli bona sunt, non autem quia de plenitudine ejus effluunt bona in amantem: ad exemplum S. Francisci Salesii, sic de Deo, suo amore loquentis: lib. 3. de amore Dei cap. 3. *Sat est, abundè est, mihi sufficit Deum esse Deum, bonitatem illius esse infinitam, perfectionem immensam, ego sive vivam, sive moriar, mea parum interest, quandoquidem dilectus meus æternùm vivit vitâ triumphis plenissimâ.* Et ad exemplum illius, de quo habet Alphonsus Rodriquez ex Gersone, qui audito se damnandum, respondit dæmoni: *Ego non servio Deo pro salute & gloria, sed quia ille est qui est, & dignus est, cui à me serviatur.* Quo in gradu stetisse videtur Carolus S. Bir-

gittæ filius, cùm diceret: Revel. S. Birgit. lib. 7. c. 13. *In tantùm gaudeo, quòd Deus Virginem MARIAM Matrem suam habeat supra omnia charissimam; quòd nullam creaturam vel corporalem delectationem mundi in permutationem illius gaudii acciperem.*

Talis amor vocatur ab ascetis, nomine amoris puri; habet enim suam & aurum scoriam, fæces vinum, furfures triticum, & suam amores, ut sic loquar, impuritatem: amare se dicit alter timore pœnæ, & amor servilis est, alter amore beneficiorum, & amor mercenarius est: alter ut vices reddat prævîè amanti, & amor sordibus amoris proprii ac privati admixtus est. Purus amor se non novit, nec ullum bonum suum, sed ejus unius, quem amat.

Tertius gradus est desiderii; hunc ascendit, qui optat amare MARIAM affectu post Deum maximo, ob tantas ejus perfectiones, velletq; unus omnium creaturarum amores transfundi in se, & tanto amore amare; quanto MARIA digna est; qualis amor est eorum, quorum id unicum votum est, ut ubicunq; auditur nomen IESU, etiam resonet nomen MARIÆ; in quem finem, libenter offerunt se, & virtutes suas, cupientes perire sibi, modò exaltetur amata, & magìs ac magìs honorificetur MARIA: quem gradum conscendisse videtur S. Birgitta, dum diceret: Revel. Extravag. cap.

63.

63. *Sic amo te MARIA, ut malim me Birgittam nunquam natam, imò damnatam, quam ut MARIA Filia Ioachim non fuerit Mater Dei.*

Quartus gradus est doloris, in hoc stant ii, quibus nihil æquè durum accidere potest, quàm si cursus Marianæ gloriæ impediatur; hoc in casu clamant ad Dominum; sufficit mihi, tolle animam meam; filio mors est optabilior, quàm Matrem videre inhonoram. Hunc gradum conscendisse reor omnes eos Martyres MARIÆ, qui pro tuenda Virginitate, aut aliis prærogativis, ac privilegiis B. V. contra Helvidium, & Albigenses, aliosq́; hæreticos, extorres honore, bonis, imò & vitâ facti sunt.

Quintus gradus est extensionis; in hoc qui consistit, diligit efficaciter omnes eos, quos putat à MARIA diligi, efficaciter inquam, quia cum iis totam paratus est dividere substantiam, sic secum argumentans: si qui amat Dominum, amat & canem ejus, eiq́; cani amore Domini projicit identidem panis particulam, quidni qui amat MARIAM amet eos, qui MARIÆ sunt in deliciis, suamq́; cum iis dividat portionem. Ad hunc gradum Sodalitates Misericordiæ eorumq́; sodales, qui, ut ita loquar sangvine suo non bonis tantùm enutriunt eos, quos nôrunt MARIÆ dilectos, de quorum aliquibus infrà.

Sextus est impletionis; hunc ascendit, qui quæ

quæ placita ſunt Matri facit ſemper, quæ autem diſplicent, fugit ſemper: aſcendunt item ii, qui de ſuo erga Matrem amore dicunt, quod filius ille: Nunquam cum Matre mea in gratiam rediî, quia ſemper quæ voluit illa, feci. Sed de his iterum intra.

Septimus eſt aſſimilationis; hunc occupant, qui in id unum intenti ſunt, ut in eorum moribus reluceat MARIA, ut qui videt filium, cognoſcat in eo Matrem, poſſitq; ex vero dicere, quod Urbanus VI. dixit de S. Catharina Vaſtanenſi filia S. Birgittæ, *Filia, tu vere ſuxiſti de lacte Matris tuæ.*

Octavus deniq; gradus eſt conjunctionis; hunc conſcendit, qui jugiter petit adhærere MARIÆ, cupiens diſſolvi & eſſe cum illa, timensq; etiam ad inſtans ſeparari. Ejuſmodi amantes habere amorem ligantem docet Richard. à S. Vict. qui ita arctè amantem amato ſtringit; ut non niſi cum violentia, hæc unio ſolvi poſſit. In hoc gradu ſiſtunt imprimis beati omnes, ac dein ii viatores, quibus nulla quies eſt, niſi poſt Deum quieſcere in MARIA.

Habes fili MARIÆ alterum modum ſemper amandi, quem aſſequeris, ſi fuerit in octo gradibus aſcenſus tuus, ſeu ſi aliquo ex his gradibus intenſè amaveris Matrem tuam, tunc enim amabis diutiùs, quàm ſi ſemper amando remiſſè operarêre.

Modus

Modus tertius ſemper amandi B. V. per viam unionis.

SApiens Univerſi conditor ita affabrè mundum ordinavit, ut nullum temporis momentum ſit, in quo non alicubi oriatur ſol, & alicubi occumbat: cùm enim hìc oritur, alibi occumbit, alibi in auge eſt, & viciſſim, cùm hìc occumbit, alibi in auge eſt. Ex qua ſapientiſſima ordinatione univerſi, nuper quidam doctè probavit, nullum eſſe inſtans in tempore, quo non diffuſa per orbem terrarum Societas JESU ſacrificia offerat Deo ſuo. Ex qua ipſa ordinatione modum habere potes jugiter amandi Deum & MARIAM: cùm enim ſemper aliqui ſint, qui amant, idem cum iis facies ſemper, ſi amorem tuum junxeris ſemper amantibus.

Acæmetæ monachi erant, ſic dicti à parco ſomno: verbum enim hoc idem ſonat, quod non dormientes; qualis fuit magnus ille Iſidorus, de quo Palladius habet, in Lauſiaca, quòd nunquam datâ operâ dormiêrit, ſed ſomno oppreſſus aliquantùm connivebat in opere vel ſumptione cibi, ita ut fruſtum, quod ori ingeſſerat ex eo excideret, cùmq; cauſam rogaretur hu-

jus

jus tam parci somni, respondit: *Si quando persuaseris Angelis ut dormiant, tum virtutis quoq; studioso persuaseris.* Qualium primatem fuisse S. Alexandrum testatur Bollandus, 15. Ian. in vita, qui cùm perpetuam semper orantium catenam moliretur, ac omnem sacram veterem ac novam scripturam perscrutatus, virosq́; quotquot omni ætate extiterunt, magnos contemplatus esset, neminemq́; reperisset, qui mirabile hoc opus in terris exactè peregisset, magistrum sibi legit architectum universorum. *Deus*, inquit, *in prima conditione rerum, horis quatuor & viginti diem ac noctem definivit: nos igitur quatuor & viginti ministeriis cursum diei & noctis perficiemus, Deo hymnos accinentes.* Architectum universorum & ego tibi imitandum suasi, non quòd sola viginti quatuor ministeria, seu amores pro numero horarum velim, sed quòd velim tot, quot sunt minuta in tempore, quibus omnibus ames & laudes Deum & MARIAM.

Nôsti quomodo Deus omnium nostrûm voluntates in ordine ad meritum, & demeritum alligârit voluntati Adæ, ut, siquidem reprobus inveniretur, derivaretur in nos per traducem malitia, si autem fidelis fuerit ille, etiam nos tales esse censeremur: ita planè voluntatem tuam alliga voluntati amantium, & sine intermis-

sione

ſione amare cenſeberis. Unio hæc & aſſociatio faciet te implere poſſe, quod aliàs judicares eſſe impoſſibile.

In muſica is etiam canere dicitur, qui aliis canentibus pauſat, idq; ob ſolam conjunctionem cum iis, qui canunt: ſic citharæ toti & organo ſuavis melodia adſcribitur, licèt chorda aliqua citharæ identidem tantùm attingatur, & aliqua fiſtula organi vix aliquando inſletur. Idem fit in conjunctione amantium, nam amor Orpheo muſicus eſt, is enim etiam amat, qui aliis amantibus quieſcit ab amore; hinc quod ait de oratione Sanctorum Hieron. ad Euſtoch. *Sanctis ipſe ſomnus oratio eſt*, bene huc poſſum applicare, dicereq́; côamantibus Deum & MARIAM ipſe etiam ſomnus, ſeu quies ab amore, amor eſt.

Ex partibus circuli ſi moveatur una, moventur omnes, idq́; ob naturalem connexionem, quam inter ſe habent in una circumferentia. S. Dionyſius de Div. nominibus c. 4. p. 1. docet *in amore Dei eſſe perpetuum circulum, & motum circularem*: quod explicans Leſſius *lib. de 50. nom. Dei conſid. viæ unit. c.* 11. dat rationem: quia, *inquit*, ex Divina luce procedit lumen in mentem creatam, ex lumine procedit amor, qui rurſus mentem in Deum trahit, eamq; illi unire, & in illum transformare conatur, quaſi volens creaturam

tra-

trahere in suum principium: quod ipsum clarius sic dilucidat: quia, *ait*, ex Deo procedit lumen, ex lumine visio, vel cognitio, qua rursus mens in Deum reflectitur. In amore etiam Mariano circulus est, isq; perpetuus, & in hoc circulo motus perennis amantium, non enim ulla tam infelix hora est in tempore, quâ non ametur amore omni dignissima; servavit ei Altissimus septuaginta millia, qui ex dilectione ejus in singula momenta curvent genua MARIÆ, qui toti jugiter ardeant amore illius: & putes aliquam hujus circuli particulam quiescere posse ab amore ejus? absit: non patitur unio, non fert summa & una connexio. Et demus, quôd quidam cum Zenone volunt, etiam in motu circuli quasdam in partibus aliquibus inveniri morulas; totus tamen circulus moveri censebitur, quantumvis aliqua forsan particula quiescere censeatur: sic planè se res habet cum amore ejus, qui beato semper amantium Virginem circulo unitus est; fac & ille aliquando quiescat ab amore, censebitur tamen & ille amare, quia, cui unitus est, circulus totus amat. Quod ipsum ut alia similitudine confirmem, respice obsecro victorem exercitum, an non huic toti decernitur victoria, & triumphus, licèt unus aliquis ventum potius jaculatus sit, quàm hostem?

Fuit in exercitu Thebano cohors quædam

dam dicta sacra, quæ aliàs vocabatur societas amantium, quæ quia ex mutua animorum conjunctione coaluerat, longè præstabat legionibus immortalibus, aliisq; quocunq; demum nomine venirent. Fuit & altera amantium societas in Aquitania inter quosdam, qui se vocabant Soldurios, teste Iulio Cæsare, *lib.* 3. *de bello Gall.* hi omnibus in vita commodis fruebantur cum amico, si quid iis per vim accidebat, eundem cum iis casum ferebant, nec reperiebatur ullus, qui amico interfecto, commori recusaret. Qualem societatem fuisse etiam inter Ægyptios, testis est Plutarchus, *in Anton.* inter Cantabros, Strabo, *lib.* 3. inter Æthiopes Diodorus Siculus *lib.* 4. *c.* 1. Certè inter cæteras dotes vitæ monasticæ colligitur & hæc, quòd sit societas amantium, ex iis præcipuè, quæ habet S. Basilius, in constit. monast. c. 19. cùm ait, quod *in ea sit perfectissima vitæ communio, à qua omnis propria & privata rei cujuslibet possessio exclusa est, à qua abest omnis dissensio, omnis perturbatio & rixa: contrà verò omnia communia, communis Deus, communis pietatis mercatura, communis salus, communia certamina, communes labores, communia præmia, & certaminum coronæ, ubi multi unus, & unus non solus, sed in pluribus.* Quam quidem vitæ communionem ita magni fecerunt

multi

multi; ut illud proverbium Hæreticorum sibi pro tessera sumpsisse videantur. *Aut societas, aut mors.* Beatus certè Aloysius Gonzaga hanc ita magni fecit, ut dicere solitus sit, se, si per inferni pœnas ad Societatem IESU, societatem amantium, pervenire potuisset, vel ad unicum momentum, electurum illas, ut tanto bono frui liceret: quemadmodum ex ore ejus se audivisse testatus est P. Mutius, in publica Romæ exhortatione, refertq; *Pawlowski in locutione Dei ad cor Religiosi.*

Hæc ideo dicta sunt, ut qui semper vis amare MARIAM, exciteris ad societatem hanc amantium, id est, ut jungas amorem tuum amoribus continuis, sicq; ob hanc unionem cum societate semper amantium, semper amare judiceris, particeps factus omnium amantium ob hanc communicationem; non secùs ac natura humana Christi particeps fit idiomatum Divinorum ob unionem hypostaticam cum natura Divina: aut sicut civis quispiam particeps fit privilegiorum communitatis ob unionem civilem. Ad hoc agendum excitare te potest mos Ecclesiæ omni exceptione major, quæ laudes suas & amores cum Angelis & Archangelis, Seraphim quoq; ac Cherubim, aliorumq; Sanctorum, ipsius etiam Christi laudibus & amoribus conjungit; excitare potest exemplum Sanctorum, passim meritis aliorum

Dei servorum jungentium actus suos; excitare potest ipsa utilitas, quæ tanta est, *ut non aliter se habeat*, loquor cum S. Chrysost. apud S. Max. hom. 6. de fraterno amore, *quàm si Deus unum corpus habenti, multas daret animas, quæ omnes illi providerent, & consulerent:* excitat deniq; ipsa voluntas Matris semper amantis semperq; redamari volentis, quam si dignus esses audire alloquentem te, non aliud utiq; loqueretur tibi, ducta proportione, quàm olim Christus locutus est B. Gertrudi: lib. 3. insinuat. cap. 5. *Ego Deus, qui sum purus & merus amor, cum te mihi elegerim, ita desidero, ut uniaris mihi indissolubili unione, sicut homo desiderat habere halitum & spiritum suum, sine quo nequit vivere*: uniaris autem toties, quoties uniuntur mihi, qui amant me.

Porro cùm dixi amorem tuum jungi debere cum amore aliorum, non exclusum volo ipsum amorem unigeniti erga Matrem suam, continuò in exercitio amoris ille est; continuò in exercitio amoris eris & tu, si amori ejus amorem tuum univeris. Blosii doctrina est: in spec. spirit. c. 5. *Si bona opera, & exercitia tua copulaveris, univerisq; actibus & exercitiis Christi, atq; ita obtuleris illa in laudem æternam, erit sanè oblatio ipsi Domino longè gratissima, & opera tua claritatem*

tem, dignitatemq; ineffabilem recipient ex actibus Christi, quibus unientur. Plumbum tuum (ut ita dicam) mutabitur in aurum optimum, & aqua tua in vinum excellentissimum. Consvescat, ait, *tam illa quæ agit, quàm ea quæ patitur conjungere atq; unire operibus & doloribus Christi, per oationem, sive desiderium: sic enim ipsa opera & gravamina ejus, quæ ex se vilia, obscura, atq; imperfecta sunt, nobilissima, clarissima, Deoq; gratissima erunt; ineffabilem namq; dignitatem ex meritis Christi, quibus unientur accipient.* Quam doctrinam pii hujus ascetæ considerans Suarius noster dicit: de merito lib. 12. c. 19. n. 6. & 7. *Hæc sententia mihi valde placet; opera justorum digniora fieri ex unione ad Christum, & meritis ejus. Accrescit enim nova dignitas & valor justorum ex Christo:* cui quidem pissimæ juxtà ac sanissimæ doctrinæ addo, quòd etiam hoc ex capite valor tali amori accrescet, quòd continuus sit, cùm enim Christus sine intermissione amet Matrem, tuq; membrum sis Capitis hujus, ut docet Apostolus 1. Cor. 6. inquiens: *Nescitis, quoniam corpora vestra, membra sunt Christi.* Et iterum: 1. Cor. 11. *volo autem vos scire, quòd omnis viri caput Christus est;* Capitis operatio erit operatio membrorum conjunctorum ipsi; cùm amor

mor tuus ramus sit de radice sancta, rivulus de fonte, unus erit vigor ramorum & radicis, profluvium rivuli & fontis, unus amor tuus & Christi. Non exclusum item volo amorem ipsius Dei increati, nam & huic perfectissimo Amori unire licet amorem tuum saltem tanquam stillam situlæ immenso mari; & quasi momentum stateræ ponderi infinito: amat Deus tuus MARIAM, & amat continuò, & amat toto se; *amat*, loquor cum Bernardo, lib. de diligendo Deo, *immensitas, amat æternitas, amat supereminens scientiæ Charitas, amat Deus, cujus magnitudinis non est finis*; amanti Deo amorem junge tuum, & unà continuò amabis, amabis toto te, imò toto Deo; plumbum tuum mutabitur in aurum optimum, & aqua tua in vinum excellentissimum.

Modus quartus semper amandi B. V. per sui ipsius dedicationem.

PHilo *lib. de Sacerd. præmiis* è jugi victima Sacerdotes ad perpetuam Dei recordationem

dationem venire posse docet, *dum assuescunt*, ait, *semper alimenti partem Deo decidere, nunquam in ejus oblivionem veniunt.* Idem scribit de Essæis, lib. de vit. contemplat. quòd perpetuam habeant Dei memoriam, ut ne in somnis quidem aliud eis obversetur, quàm imagines Divinarum pulchritudinum. Quod si æquè verum est, ac est plausibile, næ illi propè æmulantur ipsam cognitionem Dei, de quo docet S. Thomas lib. 1. con. gent. c. 56. quòd *in Deo semper est actualis cognitio, nunquam habitualis, quia dispositio, quâ quis est habitu tantùm considerans, aut volens, aut agens assimilatur dispositioni dormientis.* Imò ex perenni hac Dei memoria jugem etiam haberent ejus amorem, sicut beati jugiter amant bonum summum, quia id semper habent in oculis, ut non dicam; sicut in Deo ex perenni cognitione procedit Amor Deus. Ut autem id de Essæis credam, induci non possum; scio enim ex Philastrio, & S. Epiphanio, quale hoc genus hominum fuerit, qui decimabant mentham & rutham, & omne olus, & præteribant judicium & Charitatem Dei. De Sacerdotibus res magis patet, potuisse eos jugem Dei amorem, & quæ amorem præcedit memoriam habere, ex victimis & igne, quem perpetuò alebant in altari, nisi & isti iis duntaxat intendissent, quæ ad manum erant, insuper

habentes terminum, ad quem referrentur. Pari modo jugem MARIÆ amorem habere potest omnis, qui id optat, si ejus perennem habuerit præsentiam; nam impossibile est, ut bonum istud cognitum non sit volitum, quod si homines cognoscerent, omnes ad amorem ejus necessitarentur; habere item potest ex victima, hoc est, si semper consecratus & devinctus fuerit illi uni.

Qui bona status Religiosi describunt, inter alia etiam hoc ponunt, quòd semper possit esse in actu merendi, cùm enim totum se Deo dicaverit in perpetuum, nec actu contrario revocaverit, sequitur, quòd quævis illius actio sit virtualis dedicatio, qualiter aliàs dici solet virtualis intentio in opere, dum peragitur, sicq; cùm se continuò virtualiter Deo donet, meretur continuò. Sic nuper Antonius Vieira noster in orat. paneg. dicta Romæ B. Stanislao, postquam quæsivisset, cur Deus per B. V. B. Stanislaum Kostkam vocârit ad Societatem IESU, in qua eum scivit nihil facturum supra alios: nec enim inter nostros licebat ei noctes orationibus insumere, abstinere frequentiùs, humi cubare, aliaq; pietatis exercitia facere, quæ olim laudabiliter faciebat, dum esset sui juris, tandem sic concludit: meruisse eum plùs per opera hæc communia Religionis, quàm meruerit per ea, quæ antè in sæculo fecerat longè

san-

ſanctiſſima; quia meruit etiam ea omittendo ex obedientia, quæ olim solùm faciendo merebatur. Advertit hoc bonum S. Anſelmus, lib. de ſimil. cap. 84. ideoq́; ſic Deum alloquitur: *Domine, meæ hactenus poteſtatis erat, quodq́; mihi libebat bonum, faciebam; verùm quia tuus omnino eſſe debeo, tibiq́; ſoli tantùm bona opera fructificare, me totum tuæ trado poteſtati, ut à modò tibi fructificem. Quod ut meliùs tibi facere valeam, me uni ex Eccleſiæ prælatis ſubdam, qui me cuſtodiens ea tantùm opera doceat agere, quæ tibi noverit placere.*

Capis artem Mariane, devinctum te volo, non quidem in Religione procul à tumultibus ſæculi, nam non omnes capiunt verbum hoc, ſed devinctum per frequentem tui dedicationem, ac donationem in perenne ſervitium Virginis, ſic enim plura facis, quàm ſi identidem opera aliqua illius honori offerres, ſicut plùs facit, qui hortum vel fundum donat, quàm is, qui fructus tantùm ex illo, quantumvis ſæpiùs donat.

Eſt inter religioſos ordines, quibus Eccleſia decoratur, Ordo Servitarum, ſic dictus, quòd ſpeciali affectu famuletur MARIÆ; hujus Ordinis primos cùm Florentiæ vidiſſet, nondum annum egreſſus S. Philippus Bennitius exclamâſſe fertur: *Iſti ſunt Beatæ MARIÆ*

RIÆ servi: ut habetur in vita. Hujus ordinis imitator esto per voluntariam tui dedicationem, & cognosceris esse servus, imò filius & amator perpetuus tam amatæ Matris. Illustrari hoc potest doctrinâ philosophicâ illâ, quæ est de speciebus intellectualibus; docent quippe Philosophi, quòd omnium, quæ agimus species relinquatur in nobis, & siquidem intelligibilis est, immortalis est; ex qua doctrina tale P. *Fridericus Spe in Exercitiis aureis virt. Theol.* deducit argumentum; qui Cæsarem primò laudat, ac dein eandem laudem in tabula aliis legendam exhibet, utiq; denuo laudat Cæsarem; qui Dei magnalia pingit, aut scribit, ut omnium oculis legi possint, utiq; denuo Deum laudat: ita qui per amorem, speciem amoris ponit in anima sua, utiq; denuo Deum amare dicitur, quamdiu hanc speciem habet in se: qualiter etiam loquitur S. Basilius in ps. 30. inquiens: *Cogitatio salubris semel impressa, ac quasi signata in parte præcipua animæ, bene vocari potest laus Dei, quæ semper perseverat in anima.* Planè tali modo relinquitur ab actu dedicantis se ex amore MARIÆ species, ac quasi character in dedicante impressus, quem qui videt, & legit, agnoscit, quia talis verè est servus, filius, & amator perpetuus MARIÆ.

Illustrari hoc insuper potest exemplo eorum

rum, qui se materialibus vinculis obligârunt in servitium Magnæ Dominæ; qualiter fecisse fertur P. Vincentius Caraffa Septimus Generalis Societatis IESU, ut de eo *Bartoli in vita*, gestato in eum finem ferreo annulo in pede, cui cùm quidam exprobraret, quòd tibias antè congelatas, ac propè frigore, inolito malo, ferro deteriores faceret; respondit Vincentius: longè mihi ampliùs dolet catena, quâ careo, quàm annulus hic, quod enim nunc patior, parum omnino est ejus meritis comparatum, cujus mancipium me agnosco. Qualiter fecisse fertur B. Marinus frater B. Petri Damiani, apud ipsum *Pet. Dam. lib. 2. ep. 14. ad Desiderium Abbat.* qui ante altare Dei genitricis servilibus numellis, collo, corrigiam qua cingebatur, innexuit, & humeros denudans mox se quasi servum malum, coram Domina sua, verberibus affecit, atq; in veræ servitutis tesseram, servile tributum pendens, quandam pecuniæ summam in altaris crepidine, posuit dicens: Per illud ego munusculum servitutis, me o Domina tibi nunc offero, & à modò, quoad vixero, certi canonis appendam annuale tributum. Sicut ergo istos ex vinculis facilè agnoscere poteras servos B. V. ita ex voluntaria obligatione facilè agnoveris, quia talis est servus, filius, & amator perpetuus MARIÆ.

Deniq; hæc sui ipsius dedicatio eum affe-

ctum habere videtur, quem aliàs habet templi, aut rei alterius dedicatio; nam ſicut per iſtam res perpetuò, quoad perſeverat, ſancta eſt; ſic per illam perpetuò obligata eſt Matri ſuæ; & ſicut in illa, verba Epiſcopi, & unctio æternam hanc ſanctitatem conferre cenſentur; ſic in hac amor Sacerdos ſemper operari cenſetur. Dona ergo te Matri tuæ, Mariane, pro omnibus inſtantibus vitæ tuæ, ſi ſemper eam amare vis, victima ſis continua amoris, ac æternum mancipium, ut ita de te in veritate dici poſſit, quia tu es ſervus, filius, ac perpetuus amator MARIÆ.

Modus quintus ſemper amandi B. V. per amorem aliorum, ut effectum amoris noſtri.

IN Vitis Patrum *lib.* 3. *mihi pag.* 531. *n.* 212. & apud Pelagium *libello* 12. *n.* 9. legitur de Abbate Lucio, quòd cùm quoſdam fratres quæſiviſſet, *quid ſolerent manibus o-*

perari

perari? & illi dicerent: nos nihil manibus operamur, sed secundùm quod dicit Apostolus; sine cessatione oramus, perrexerit senex quærendo: non manducatis? at illi professi sunt. Etiam: tum senex: quando ergo comeditis, quis pro vobis orat? at illi conticuerunt. Et iterum requisivit eos dicens: Nunquid dormitis? cumq; illi se dormire dixissent, ait illis: quando ergo dormitis, quis orat pro vobis? & non invenerunt quid responderent: Tunc dixit eis: Indulgete ergo mihi, quoniam non facitis, sicut dicitis. Ego autem dicam vobis, quemadmodum manibus meis operans sine cessatione oro: sedeo enim de manè usq; ad horam constitutam, & pauca palmarum folia infundo, & facio exinde funiculos, & iterum oro, dicens: Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam, & secundum multitudinem miserationum tuarum, dele iniquitatem meam: cùmq; complevero opera manuum mearum, & fecero aliqua vasa, aut paucos funiculos, & emero ex eis nummos decem, ex ipsis nummis duos do pauperibus, & reliquos comedo: quando ergo comedo aut dormio, tunc illi pro peccatis meis sine cessatione implent orationem meam. Hæc ibi ad verbum. Accommodum ex hoc discursu modum semper amandi colligere pote-

potes, si scilicet amorem habeas fœcundum, & causam plurium amorum, hoc enim casu alienus amor erit amor tuus, tuq́; tamdiu amare censeberis, quamdiu amat is, quem ad amorem incendisti.

In Divinis amor fæcundus non est, nec enim ibi reperitur amor amoris genitus ab amore, sicut nec Verbum Verbi; at in humanis si sterilis amor est, vix amor est. Explanat hoc, caput omnium amantium ipse incarnatus Filius Dei, in quo Patri bene complacuit; dilexit hic in finem, ideoq́; se ipsum dedit pro dilecto, ut autem amoris sui fæcunditatem probaret, genuit in sangvine suo discipulos, qui mundum reliquum per Evangelium Deo gignerent, & Amori. Colligi hæc ipsa fæcunditas videtur ex illo, quod Dominus ait Petro, cùm dixisset se amare plùs cæteris, ut pascat oves suas, quasi diceret: si me amas plus cæteris, *rape ad me*, verba sunt S. Aug. 4. Conf. cap. 12. *quas animas potes, & dic eis, hunc amemus, hunc amemus*. Nimirum de genere boni amor est, cujus natura est, communicare se ipsum, quod cùm non facit, amor non est, ut potè cujus natura non est: ignis est amor, cujus natura est incendere obvia quæq́; amor virtus perfecta est, quæ in id unum intenta est, ut, quod Paulus ait, Coloss. 1. *exhibeat omnem hominem perfectum in Christo IESV.* Solet

let hic amor aliàs vocari zelus, qui nihil aliud est, quàm amor intensus, intendensq; & curans id unum, ut in plures replicetur affectus erga bonum amatum; ut colligit S. Thom. 1. 2. *q.* 28. *a.* 4. Sicut econtrà qui verè alium odit, id unum curat, ut odio habeatur ab omnibus, quem odit ipse. Huc videtur spectare illud Aug. in ps. 33. *si amatis Deum, rapite omnes ad amorem illius:* nota hæc certissima amoris intus hospitantis est, si cures ut ametur ab aliis, quem amas; aliàs enim perquam convinceris minùs amare, nam verum est illud Bern. de nat. Div. amor. cap. 2. *Qui non zelat, non amat.* Quæ quidem fæcunditas amoris nihil aliud respicit, nisi ut toties amet, quot cordibus amorem ingeneravit, & si fortè eum deficere contingeret, ut supersit in Filio Pater, amor in eo, quem ad amorem induxit.

Ascetæ docere solent, quòd fundatores Religionum (idem de quocunq; alium inducente ad bonum) speciale præmium habituri sunt, etiam propter illos, quibus ad bonum fuerunt incitamento; nam in iis, quasi toties operantur, quoties alii aliquid boni faciunt: sic Cornelius à Lapide *in prov. cap.* 8. *vers.* 22. docet eos habituros meritum & laudem non propriæ tantùm vitæ, sed & omnium sui asseclarum etiam post mortem, quamdiu durabit ordo ab ipsis fundatus: unde S. Dominico tribue-

tur

tur laus sanctitatis, & sapientiæ, S. Thomæ Aquinatis, S. Vincentii Ferrerii, S. Catharinæ Senensis, cæterorumq; omnium, qui ex ejus institutione & disciplina religiosè & sanctè vixerunt, vivunt, & vivent. Sicut econtrà doceri solet, eos, qui alios inducunt ad malum, toties malos esse, quoties per eos inducti malum operantur: quod notavit Salvianus lib. 4. de provid. inquiens: *Qui multos præcipitat ad mortem, necesse est, ut sit pro tantis reus, quantos secum traxerit ad reatum.*

Ex qua quidem doctrina ascetarum, clarum est, quomodo amator Marianus semper amare possit; si nimirum ingeneret aliis amorem MARIÆ, hoc enim modo quoties ab aliis amabitur MARIA, fructus referetur ad radicem, effectus ad causam, ac tantùm non dicet quilibet amor de ejus amore, quòd hujus vel illius amor Apelles me fecit, mutatoq; nomine de eo illud Æliani intelligetur. *lib.* 2. *cap.* 4.

Humanæ genti autores cælestis amoris,
Et Chariton felix, & Menalippus erant.

S. Franciscus Xaverius lib. 4 ep. 1. testatur inter deastros Iaponum coli idolum Xacæ, de cujus origine cùm inquisivisset vir sanctus, miras reperit fabulas: comperit enim eum explevisse annum vitæ bis millesimum, octies millies natum esse, aliaq; complura de eo credi commenta. Fabulosa hujus idoli genesis est, veri

ri tamen amoris generationi nimis quàm bene servit, tamdiu enim hic vivere dicendus est, quamdiu vivunt alii, in quibus amorem animavit, toties etiam idem ipse amor gignitur, quoties per eos amor in aliis nascitur, qui exemplo & studio primi amare didicerunt.

Et hæc sufficiant de modis semper amandi: Vide sis an non in eorum praxi conveniat te esse maximè exercitatum, alioquin si identidem duntaxat elicueris actum aliquem amoris, vereor, ut tibi dicat Mater tua ob neglectos actus alios, quod Christus dixit leproso: *Et novem ubi sunt?* convincarisq; minùs amare, quia identidem tantùm amas: quæ exprobratio in te cadere non poterit, si in his te modis exercueris.

Martyris meminit S. Greg. Nazian. qui jam morti proximus, cùm nescio quam corporis partem modicam intactam à ferro & igne, ungularum ac pectinum sævitie advertisset; collectis viribus, quas ei adhuc acerbitas suppliciorum reliquerat, locum carnificibus monstravit, & exprobrans incuriam, denuntiavit supplicium, quod meriti essent, eam partem cutis non proscindendo, *adhortansq; ut ne huic quoq; parcerent particulæ, quæ sola ungulas effugisset.* ut testatur Ioan. Paulus Oliva 1. *part. exhort. dom.* 10. *n.* 118. *citans S. Greg. Nazian. orat. in Iulian.* Idem faxis

fili MARIÆ & tu, nulla tui te effugiat particula, nulla bonæ diei, quam amore Matris tuæ non nobilites, tota tibi vita amor ſit, unaq; hora & momentum alteri horæ, ac momento amorem tradat priore nobiliorem, tuq; ſolius dicaris vivere tempora amoris. In templo Salomonis nihil erat, quod non auro tegeretur, ſic & in vita tua, nihil ſit, quod non tegatur amore.

Ferunt conjugem quandam amore & dolore ſtimulatam è defuncti mariti ſui cineribus clepſydram confeciſſe, quæ hanc ſuſtineret epigraphen:

Irrequiete cinis miſeros teſtaris amantes,
More tuo, nulla poſſe quiete frui.

Mariano amori cinere non opus eſt, ut tempora fluant amoris, nam ſi verè amat ipſe, perpetuum eſt mobile, ipſumq; ejus vivere amare eſt. Bene S. Germanus Patriarcha Conſtantinopol. orat. de Deip. *Sicut continua reſpiratio non ſolùm ſignum eſt vitæ, ſed etiam cauſa, ſic S. MARIÆ nomen, quod in Dei ſervorum ore aſſidue verſatur* (tu dic S. MARIÆ amor, qui in more eorum aſſiduè verſatur) *ſimul argumentum eſt, quod verè vivant, ſimul etiam hanc ipſam vitam efficit & conſervat, omnemq; eis lætitiam & opem ad omnia impertitur.*

Exerce te in his amandi modis Mariane, ut toto te & ſemper cenſearis amare Matrem

tuam

tuam; ſingulariter tamen tibi ultimum modum commendo; in hoc enim ſi perfectus inveniê-re, dicetur de te, quod de Trajano ſuo Plinius in paneg. *Tanto laudabilior es, quòd cùm ipſe ſis optimus, omnes circa te ſimiles tui effeciſti:* cenſeberisq́; amare amore efficaci & fæcundo, & implebis illud: Si utiq́; MARIAM diligitis, curate, ne eam ſoli diligatis, quemadmodum ſancti implent illud: Si ad Deum tenditis, curate, ne ad illum ſoli veniatis.

CAPUT 2dum.

Filius MARIÆ amet Matrem ſuam ore.

SOlet inter ſapientes inſtitui quæſtio, an aliqua tam beata domus ſit, in qua filii non degenerent? non enim facilè talis reperitur, cùm & domus juſti Noë educârit impium Cham, eòq́; peſtilentiorem Chanaan; domus Abrahæ Iſmaëlem, domus Iſaac ferocem Eſau, domus Iacob, & David, illa fratrum, hæc Patris proditores: imò ipſum cælum hac in parte non uſquequaqve beatum eſt, quòd in eo degenerâ-rint filii Altiſſimi, facti ex Angelis diaboli.

Aptare familiis sæculi hujus bene potes illud Aristotelis, lib. 9. hist. anim. cap. 6. *excludit binos, edit terna, educat unum; pauci enim filii*, loquor cum Homero Odyss. 2. *similes Patri sunt, plures pejores, pauci autem meliores*. Verùm quidquid de aliis domibus sit, superest una tam beata mater, cujus filii nunquam degenerant, illaq; non alia quàm cor hominis; hæc est illa herois, cujus filiæ nunquam sunt noxæ, nisi ipsa mater, prius talis sit.

Filias cordis alicubi vocat Chrysostomus verba hominis, hæ filiæ matrem semper sequuntur; sic enim canibus catulos, sic matribus hædos similes non reperies, sicut cordi verba: fac cor esse malum, jurem, nisi verum sit illud Ezech. 16. *sicut mater, ita & filius ejus*: de corde malo prodibunt verba nequam, nec progenies viperarum poterit bona loqui, cum sit mala. Innuit hoc Spiritus Sanctus ps. 5. *Quoniam non est in ore eorum veritas, cor eorum vanum est*. quasi diceret, quia filia mendax est, & mater talis esse debet. Econtrà fac quempiam verba vitæ loqui, pejerem, nisi talis sit filius vitæ, imò Dei vivi, qui ponit verba sua in ore hominum, ut de Homero Aristoteles: 7. mor. 1.

- - Non hominis mortalis filius ille
Esse videbatur, sed magna è stirpe Deorum.

Loquela manifestum facit, Galilæus aliquis sit

an Iudæus, Galaadites an Euphratæus. Clarescit hoc idem ex ipsa Divinitate, in qua ex nullo capite Patrem Divinum optimum, imò ipsam bonitatem esse cognoveris, nisi quia tam bonum VERBUM eructat, qui est Unigenitus Filius Dei, per omnia referens Patrem.

Adoptive Mariane dilectum te cordis Mariani dixi, docuiq; quomodo nunquam cessare possis ab amore: nunc si quæris signum infallibile amoris exterius, è quo velut è vestigio animal, è fumo ignem, è rivulo fontem assequaris, aliud tibi certius dare nequeo, quàm ipsas has filias cordis tui, id est, quàm verba, quæ ex amore Matris profers; seu quæ ex abundantia cordis os loquitur; hæc verba infallibile indicium sunt hospitis interioris, nam ut bene Demonax Philosophus apud S. Maximum, ait: serm. 15. *sicut ex speculis vultûs figura, sic ex colloquiis natura, & mentis imago cernitur*; hæc verba velut flamma sunt ignei amoris, aut radius ejus, velut fructus repræsentans radicem, velut filius referens matrem. Hoc ait, Chrysost. ep. 130. *veri amoris naturafacit, ut ii, qui nobis chari sunt, semper in ore nostro ac lingva versentur.* Et iterum, tom. 5. lib. 1. de compunct. *Hic amantium mos est, ut amorem suum silentio tegere nequeant, sed produnt, & flammas suas intra pectus suum cohibere non possunt.*

sunt, enarrant frequentiùs, ut ipsa assiduitate narrandi amoris sui solatium capiant, & refrigeria ardoris. Vis signum amoris infallibile; loquere ut te videam, talis enim hominibus fluit oratio, qualis vita, aut ut Cicero Tusc. quæ. 5. *Qualis homo est, talis etiam ejus erit oratio.*

Sanè hac etiam in parte Seraphinorum æmulum esse te vellem, qui quia perenniter amant, perenne canunt trisagium Deo factori suo; sic enim & tu incessabili voce laudares MARIAM, quia jugiter amares: imò imitatorem te hac in parte vellem ipsius Matris Dei, quæ de se ipsa testatur S. Birgittæ, 1. Rev. c. 10. quod *loqueretur anima ejus præ amore,* sic enim ore sæpe nominares, labiis benediceres, magnificares, quam amas incessabili voce.

Amida Bonziorum Deus est, quem ipsi, teste Ginnaro *Xaverii Orient. part.* 1. *lib.* 2. semper in ore habent, ab aliisq; haberi volunt, eo quòd hic unus vitam æternam det iis, qui eum continuò in ore habent, hinc per plateas assiduè vociferantur: Beate Amida salva nos. Amida apud Indos dictio trium syllabarum est secundùm omnes syllabas significativa, *A* quippe significat omnes sanctos, *mi* omnes sanctas, *da* omnes bibliothecas, quas ii pro rebus sanctis habent, utpote in quibus illorum lex asservatur. Tu faxis meliùs, si pro fabuloso Deo in

in ore habeas Deum vivum & verum, ac Matrem ejus, sic enim æternæ vitæ arrham, sic amoris certissimi intus habitantis indicium habes, sic ipsum nomen Sanctissimum Dei & MARIÆ tibi erit significativum, ut revera est, omnibus rebus creatis majorum excellentiarum; qualiter id in ore habuit Iaponica illa mulier, de qua annuæ Societatis, *anno* 1621. quæ sicut suasu Bonziorum, centum quadraginta mille vicibus nomen Amidæ pronunciârat per diem, facta Christiana toties quotidie nomen IESU & MARIÆ pronunciavit. Quam quidem consvetudinem si habueris, ausim dicere sanctificandam lingvam tuam per hæc verba, imò sanctificandum ipsum äerem excipientem talia verba, quod de voce Quadraginta Martyrum, qua se Christianos dicebant, olim docuit S. Basilius; serm. de 40. Mart. poteroq́; non ex vano promittere, me dicturum de lingva tua, quod olim de incorrupta post annos triginta duos à morte lingva S. Antonii Patavini, cùm eam deoscularetur, dixit S. Bonav. *O lingva benedicta quæ Dominum semper benedixisti, aliosq; benedicere docuisti, nunc liquet, quàm grata ei fueris, quantiq; apud Deum meriti.* Chron. Ord. Min.

Age, loquere ut te videam; exigit hoc à te amor ipse, qui si ignis est, sepeliri non potest cordis angustiis; si musicus est, ad motum lin-

lingvæ probitas ejus appareat; si aurum est, ad tactum vocis, ceu Lydium lapidem examinetur: exigit amor, qui unâ hac viâ nimium quantum incrementum accipit, quemadmodum docet Theodidactus ille Thomas à Kempis part. 3. serm. 3. inquiens: *Summi magistri virtutis sunt IESVS & MARIA, quantò frequentiùs te in eorum laude exercueris, tantò in amore plùs cresces.* Exigit voluntas Dei & Matris tuæ; denique; exigit lex ipsa Sodalitatis, quæ quidem in Congregatione Annunciatæ hæc est prima: *Sæpe inter se agentes, mutuò se ad ejus amorem, & cultum studeant impellere, & ardentem quandam cupiditatem nominis ejus extollendi.*

At videris mihi satis esse inclinatus ad hoc agendum; illud autem optare, ut modos aliquos tibi præscribam, quibus id faxis exactissimè: cui rationabili petito ut satisfaciam, bifariam divido modos laudandi B. V. ore, semel per orationem, ubi varios variorum modos orandi B. V. præscribam: alterum per colloquia, ubi aliqua de excellentiis B. V. accommodata colloquia proponam: hìc duntaxat unum te monitum velim: quòd puri, & immaculati debent esse servi, & laudatores MARIÆ, neq; enim speciosa laus est MARIÆ in ore peccatoris: vis eam laudare exactè, lauda corde mundus, nam quòd de laude Dei habet Lactantius, lib.

6. Div.

6. Div. Instit. inquiens: *Summus colendi Dei ritus est, ex ore justi hominis ad Deum directa laudatio.* Hoc de laude B. V. perquam verum est. Si purus, & immaculatus es, utere feliciter in nomine Dei & MARIÆ modis laudandi B. V. his, quos jam trado incipiens ab iis, qui magis noti sunt.

Modi variarum Orationum directarum ad B. V.

PRimò S. Mechtildi *Vitæ lib.* 5. *c.* 20. quærenti, quænam oratio B. V. esset acceptissima? apparuit Deipara cum salutatione Angelica auro scripta in pectore, dicens: hanc esse gratissimam, quâ olim è cælo salutata est; petenti autem, ut sibi adesset præcipuè in morte? respondit pia Mater: se id facturam, sed eâ lege, ut quotidie tria Ave diceret, & primo quidem omnipotentiam Dei Patris, altero Filium Sapientiam Patris, tertio Spiritum Sanctum Amorem infinitum honoraret. Hæc est illa oratio, de qua B. Alanus à Rupe, quòd sit *pauca verbis, sed alta mysteriis*, S. autem Damianus, quòd sit *rugitus altissimæ vocis*, & Iodocus

cus Beyselius, *quod plura habeat mysteriorum sacramenta, quàm verba aut literas*. Hæc est illa oratio, de qua Thomas ille Kempensis in solil. animæ c. 23. *Cælum gaudet, stupet omnis terra, cùm dico Ave MARIA; satan fugit, infernus contremiscit, cùm dico Ave MARIA; mundus vilescit, caro marcescit, cùm dico, Ave MARIA; crescit devotio, oritur compunctio, spes perficitur, augetur consolatio, cùm dico Ave MARIA; recreatur animus, & in bono confortatur æger affectus, cùm dico, Ave MARIA; siquidem tanta svavitas est hujus benedictæ salutationis, ut humanis non possit explicari verbis, sed semper maneat altior & profundior, quàm omnis creatura indagare possit*. Hæc est illa oratio: de qua rursus eidem B. Mechtildi Deipara: *supra hanc salutationem nunquam homo pervenit, nec dulcius me salutare potuit*, ut refert Gononus in Chronico B. V. anno 1303. quam qui frequentat, gratiam sibi accumulat, teste Bonaventura in speculo c 4. dicente: *Libenter nos salutat cum gratia, si libenter eam salutamus cum Ave MARIA*, quam qui frequentat, arrham habet regni cælestis, qui verò negligit, damnationis, ut rursus D. Alanus: in psalt. B. V. cap. 11. *Scias*, inquit, *& securè intelligas, quod & inde late omnibus patefacias*

facias, quod videlicet signum probabile est, & propinquum æternæ damnationis horrere, & attædiari, ac negligere salutationem Angelicam totius mundi reparativam. Hæc deniq; est illa oratio, quâ prima Virginem Beatam salutavit Sancta Trinitas, cujus autor Deus est, cujus promulgator Angelus, cujus meritum tantum est, ut & ipsæ nobis id invideant bonæ & beatæ animæ: qualiter lego apud P. nostrum Barry in anno Sancto *part.* 4. § 4. 1*ma die Nov.* de sanctimoniali, quæ cùm gravissimis in ultimo morbo conflictata esset doloribus, à morte superiori apparens, eam certam reddidit de salute sua: addens, se, si per Dei voluntatem liceret, redituram libenter ad omnes illos & plures dolores eâ solum spe, ut vel tantillum gloriæ habere posset, quantam accipitis, qui vel unicam Salutationem Angelicam etiam cum mentis evagatione recitat.

Secundò. S. Ludovicus Bertrandus teste Nadasi *in anno cælesti* 19. *Oct.* proregi cuidam, qui rem aliquam magni momenti perdiderat, suasit, ut si rem vellet invenire, statis diebus, novies Canticum Magnificat, oraret, felici eventu; nam post preces res ad Dominum rediît. Proregem hunc Aragoniæ dictum Iacobum Ferrerium testatur Gononus *in Chronico Deip. anno* 1581. Usurpârunt postea hanc devotionem plures felici exitu. Tu ne ipse

pereas

pereas, vel si perditus es, ut ad Dominum redeas, an non faxis idem? Nobilius canticum frustra quæras, ac gratius B. V. quam sit illud, quod est ejus proprius partus, & quod Ecclesia tanti facit, ut nullam sine ejus recitatione diem elabi permittat.

Tertiò. Primi Patres Carthusiani ut refert Surius *in vita S. Brunonis tom.* 4. 6. *Oct.* ob absentiam sui Sancti Patriarchæ ingenti pusillanimitate, perplexitate, ac animorum angustiis pressi, in mortis discrimen sese conjicere parabant; cùm vir venerabilis (Petrum Apostolum fuisse fama est) apparens eis, spopondit, eos ab omni molestia liberandos, si in honorem B. V. quotidie preces horarias recitarent: expertiq; sunt fidem sponsionis impletam, cùm id piæ devotionis assumpserunt. Qua quidem in devotione cùm religiosi monasterii Gamugensis remissiores facti essent, tantis repentè calamitatibus affligi cæperunt, ut coácti fuerint, autore Petro Damiani, solitum officium resumere, pollicerique; nunquam se illud deinceps neglecturos, quemadmodum refert Card. Baronius *anno* 1159. addens: & hos statim levatos ab ærumnis, ut primùm ad pristinas preces redièrunt. Nimirum factum est cum iis, quod habet idem B. Petrus Damiani lib. 6 ep. 32. inquiens: *Quia matrem veræ pacis de suo monasterio projecerunt, dignum est, ut in-*

inquietis, calamitatum, tribulationumq; procellis, atq; turbinibus agitentur, quæ tribulationes cessare non poterunt, quoad rursus resonabunt cantica amoris Mariani. Porrò cùm preces horarias horum Patrum exemplo tibi propono dicendas, vel accipe illarum nomine Officium parvum B. V. quod recognovit S. Carolus Borromæus, & in eam formam restituit, quæ à S. Sede approbata est, ac indulgentiis locupletata, quòdq; tum ipse S. Carolus quotidie flexis genibus dicere solitus erat, ut habetur *in vita ejus*: tum alii longè plurimi adhucdum dicunt quotidie. Vel intellige nomine precum horariarum parvula aliqua officia in horas disponi solita, quale imprimis est illud de immaculata Conceptione jussu B. V. à fratre nostro Laico miraculis in vita & post mortem celeberrimo Alphonso Rodriquez typis editum, quòd quidem tum alibi, tum præcipuè in Polonia nostra ita frequenter recitatur; ut omnis ætas, & conditio sibi familiare fecerit; hoc parvuli domi, & in templis, hoc viator in viis publicis, hoc pastor minans gregem, hoc ipsa mulier ad colum suaviter occinit.

Quartò. Martinus Navarrus celebris ille Theologus moralis cùm sexaginta & amplius annos quotidie rosarium dixisset, negat se quidquam melius hac exercitatione reperisse: Rosarii porro inventricem ipsam Beatissimam

Vir-

Virginem ferunt, nam cùm S. Dominicus in Academia Parisiensi concionaturus esset, apparens ei B. V. oblato libello, dixit: Fili mi Dominice, etsi bona sint, quæ explicare pro concione decrevisti, longè tamen meliora attuli tibi: aperto itaq; libro, tot in eo mysteria de Rosario, quot verba reperit. Pist. *conc.* 14. *p.* 2. Ad rosarium etiam refer eam, quam vulgò coronam vocant, quam S. Franciscus Salesius inter curas pastorales per integros annos quadraginta, se nunquam omisisse testatus est, ut habetur in ejus vita; quam noster frater Alphonsus Rodriquez ita frequenter recitando volvit, ut inde digiti ejus callum contraxerint, referente Balingheim in Calendario Mariano 31. Oct. Porro corona hæc ortum habuisse fertur à quodam Religioso Ord. Min. qui cùm in sæculo clericum, ut vocant, sæcularem ageret, in more habebat, B. V. iconem serto è floribus contexto quotidie exornare; quod cùm in religione facere non posset, respicere cœpit ad ollas Ægypti, cogitans ea propter ordinem deserere: sed à comparente B. V. in ordine confirmatus est, doctusq; quomodo nobiliori serto se coronaret ex recitatione 63. Salutationum Angelicarum, in memoriam annorum, quibus ipsa in terris vixisset dicendarum, & septem orationum Dominicarum, in memoriam septem effusionum sangvinis Christi, ut testatur *Chronica ejusdem Ordinis.* *quin-*

Quintò. P. Stephanus Binet pluribus autor fuit, ut ex pacto quodam ad impetrandam sibi invicem felicem mortem dicerent pro se invicem Litanias Lauretanas, adjunctâ collectâ ad S. Ioseph: quæ quidem devotio per totum orbem propagata est, propagaturq́; indies, cùm ejusmodi devotionis particeps esse possit, ac hanc subire sodalitatem, qui in eum finem prædictas absq́; alia solennitate Litanias oraverit. Porro hoc genus pactorum, & conventionis ad orandum prò se invicem aliàs non infrequens est inter Christianos; sic plures sanctum fædus inierunt, autore P. Francisco Baray è Soc. IESU anno 1649. in regno Granatensi, ut quotannis pro invicem vivis aut vitâ functis vivam hostiam Deo vivo & vero in Missa offerrent: qui quidem confædaratorum numerus fuit tantus, intra triennium; ut in una civitate illius regni dicta Santa-Fe, decem millia numerata fuerint. Anno autem 1653. Confæderatio hæc ab Innocentio X. in sodalitatem erecta, sub titulo Immaculatæ Conceptionis Auxiliatricis vivorum & defunctorum, illustrata gratiis, dotata indulgentiis, hoc insuper obtinuit; ut ipse Pontifex nomen suum illi inscribi voluerit. Exin tantum incrementum habuit, ut anno 1676. millionem, & sexcenta millia numeraverit ex utroq́; sexu, quibus accessit Leopoldus Imperator, unà cum tota domo Austri-

aca

aca, reges alii ac principes, pluresq; religiosi ex diversis Ordinibus. Sic plures convenerunt ad orandum pro se invicem per fœdus aliud sanctum, quod appellârunt Associationem, seu unionem piarum mentium, ad impetrandam felicem mortem, ac breve purgatorium.

Sexto. Ignatius Carnagus *in Civitate refugii lib. 3 cap. 3. devot. 7.* refert de Novitio pio & simplici ex Ord. S. Francisci, qui tamdiu etiam sine cibo jussus orare, dum à Deipara addisceret, quæ oratio illi esset gratissima, quod ipsum precibus consecutus est, nam apprimè gratam esse didicit eam, cujus initium est: O gloriosa Domina, excelsa super sidera: qui hymnus familiaris fuit S. Antonio Patavino etiam morienti, & valuit ad dæmonem aspellendum, ut est in ejus vita. Huic hymno adde alias preces, qualis est imprimis illa antiphona ab Hermanno Contracto composita, Salve Regina Mater Misericordiæ; quæ sanctis viris perquam familiaris semper fuit, cumprimis S. Bernardo, qui satiari non poterat, præcipuè in illis verbis O clemens! o pia! o dulcis Virgo MARIA; ideoq; sub illis verbis lacte Mariano pastus est. Item S. Francisco de Paula, qui post frequẽtissima *ut est in Hist. Ord. Minim.* miracula, quæ patrabat, singula, convocatis religiosis dicere solebat. B.V. hâc horâ miraculo inclaruit, eamus ad odæum, ut Virgini gratias agamus

gamus, eiq; accinamus: Salve Regina. Certè hæc antiphona in Ord. Prædicatorum cum summa veneratione dicitur tum aliàs, tum finito Completorio, per cuncta Ordinis domicilia; quam quidem piam consvetudinem à B. Iordano Gen. ejusdem Ordinis derivârunt Patres isti, ipsaq; B. V. acceptam sibi esse testata est, ut quodam die (Purificationi sacer erat) pleno choro comparuerit, Filium manibus complexa, cujus manum regebat ad benedicendum Iordano ac aliis Religiosis benedicentibus sibi. Refert Ioan. Alber. *in vita B. Iordani*. Huc refer psalterium B. V. compositum à S. Bonaventura, affectibus aureis erga B. V. plenissimum, quod plurimi è diverso sexu, statu, & natione dicere consveverunt: refer brevem illam ejaculatoriam: *MARIA Mater gratiæ, Mater misericordiæ, tu nos ab hoste protege, & horâ mortis suscipe:* quam S. Richardus Episcopus Cicestrensis in Anglia centies per diem orabat, & agoni proximus à Sacellanis suis incessanter orari voluit circa lectum suum, dum animam efflaret. ut est in vita ejus: Refer auream illam aureis literis in domo Lauretana B. V. scriptam precatiunculam: *Ave Filia Dei Patris, ave Mater Dei Filii, ave Sponsa Spiritûs S. ave Templum totius Sanctissimæ Trinitatis.* Deniq; ut alias longè nobilissimas taceam,

refer huc insignem illam precandi formulam, quam cùm S. Franciscus Salesius dixisset, liberatus est à spiritu desperationis, quem illi dæmon immittere tentavit, volens ei persuadere, eum esse è numero damnatorum, quam recitat Henricus Ep. Aniciensis, *in vita S. Franc. part.* 1. *c.* 5. Formula autem ad verbum sic sonat.

Memorare o piissima Virgo MARIA Mater misericordiarum, & totius consolationis, à sæculo non esse auditum quenquam ad tua currentem præsidia, tua implorantem auxilia, aut tua petentem suffragia, à te Virgo MARIA derelictum. Idcirco tali animatus fiducia, ego ad te Virgo Virginum, Regina Cælorum, & Domina Angelorum, MARIA Mater D. N. IESV Christi confugio, ad te venio, ad te stella maris curro, coram te miser, gemens & tremens assisto. Noli ô Domina mundi, noli æterni Verbi Mater verba mea despicere: sed audi propitia, & exaudi me miserum ad te in hac lachrymarum valle clamantem nunc & semper, maximè in hora mortis meæ. O clemens! o pia! o dulcis Virgo MARIA!

Septimò. In Belgio quidam Ioscio Religiosus S. Bertini ante annos supra quingentos, quotidie quinque psalmis nomen B. V. venera-

batur

batur, quorum literæ initiales corresponderent Sanctissimo Nomini MARIA; sunt autem sequentes. M, Magnificat. A, Ad Dominum. R, Retribue servo tuo. I, In convertendo. A, Ad te levavi: post ejus mortem enatæ rosæ quinque cum inscriptione, aureis literis nominis Sanctissimi MARIA, duæ scilicet ex oculis, duæ ex auribus, una ex ore. Alii hunc vocant Josbertum. Corn. à Lap. *in prov. c.* 10. *ex S. Antonino, & Chronicis monast.*

Octavò. Ioanna Galliæ Regina Ludovici II. filia, Caroli VIII. soror, ac Ludovici XII. Galliæ Regum conjunx, Ordinem fundavit Annunciatarum, cui ordini solenne est meditari virtutes B. V. ac dicere corollam de decem Virtutibus B. V. expressis in Evangelio: corolla porrò decem Ave, ac una Oratione Dominica constat; virtutes autem sunt sequentes. Summa puritas corporis & animi, purissima religio, sancta prudentia, profunda humilitas, prompta obedientia, ingenua veritas tam in verbis, quàm factis, exactissima paupertas, admiranda patientia, perfectissima voluntatis suæ cum Filii conformatio tam ad vitam, quàm ad mortem parata. Aug. Wich. *in Brabantia Mar. lib.* 3. *cap.* 76.

Nonò Stellarium B. V. teste Barry *in anno sancto feriâ 4tâ. Dom.* 4. *post Pascha* plures dicunt ob dona concessa B. V. quod re-

citatur sequenti modo: primò dicitur Pater noster, quo gratiæ aguntur Patri æterno, quòd B. V. in Filiam elegerit, dein quatuor Ave: rursus Pater unum, quo gratiæ aguntur Filio, quòd B. V. in Matrem elegerit, ac iterum quatuor Ave: deniq; unum Pater, quo gratiæ aguntur Spiritui Sancto, quòd B. V. in Sponsam elegerit, ac quatuor Ave: oratio autem gratiarum actoria potest addi v. g. hæc. *Gratias tibi æterne Pater, æterne Fili, æterne Spiritus Sancte, propter magnam gloriam tuam, & omnes communes & singulares gratias, omnemq; gloriam MARIÆ Filiæ tuæ Pater, Matri tuæ Fili, Sponsæ tuæ Spiritus Sancte concessam. Da, ut æternas tibi apud te pro beneficiis, & illi & nobis concessis, unà cum illa gratias agamus in beata æternitate.* Vocatur hæc devotio Stellarium, seu corona stellarum duodecim. In hac devotione videtur cumprimis exercitatus fuisse Admodum R. P. N. Alexander Gottifredus Generalis Soc. IESU, de quo habet bibliotheca scriptorum Societatis, quòd quotidie integrum stellarium, hoc est duodecies duodecim Salutationes Angelicas dixerit. Potest hoc stellarium etiam institui in memoriam privilegiorum B. V. concessorum, quæ ab Hugone *in miscellan. cod. 2. lib. 3. tit.* 125. numerantur ordine sequenti. 1*mò*. Conceptus sine sorde. 2*dò*. partus

partus ſine dolore, *3tiò.* Virginitatis & Maternitatis copulatio. *4tò.* Scientia illuſtris, *5tò.* Deum genuiſſe. *6tò.* mortuam eſſe ſine dolore. *7mò.* aſſumptam eſſe, & vivere cum corpore in cælo. *8vò.* Angelicam tranſcendere ſublimitatem, *9nò.* ſedere ad dexteram Filii, *10mò.* aureolâ doctorali eſſe inſignitam, *11mò.* Chorum ſeparatum ab Angelis conſtituere. *12mò.* neq; ex antecedentibus, neq; ex conſequentibus, habere parem.

Decimò. Ioannes Berchmans ille è Societate IESU Angelus, novies dicebat per diem Beata viſcera MARIÆ Virginis, ad ſingulas vices actum hyperduliæ eliciens, in venerationem novem menſium, quibus Chriſtus infans fuit in utero Virginis: in quem ipſum finem dicebat ſingulis diebus novies Magnificat S. Iuliana Virgo ex Ord. Ciſtercienſi ut refert Gononus *in Chron. Deip. anno* 1230. Ad eum modum P. Carolus Spinola glorioſus ille Chriſti Martyr lento igne vivus apud Iapones combuſtus, recitabat novies Salutationem Angelicam, meditando ad ſingulas unum ex novem beneficiis Virgini conceſſis à Chriſto, cùm portaretur in utero. Ad primam meditabatur Maternitatem ejus, quâ concepit ope Spiritûs S. Ad ſecundam, quòd Mater fuerit & Virgo junctâ fæcunditati Virginitate. Ad tertiam, quòd gravida fuerit ſine gravamine: Ad quar-

tam

tam, quòd sola cum gaudio pepererit. Ad quintam, quòd complexa Deum in utero tantam gratiam acceperit, quæ omnium Sanctorum merita superaret: Ad sextam; quòd cùm Christus vestem mortalitatis nostræ induisset, eam ut Pontifex consecraverit in templum Dei, & tabernaculum Altissimi. Ad septimam, quòd cùm Christus sit frumentum electorum, uterus B. V. factus fuerit publicum orbis totius horreum. Ad octavam, quòd cùm Christus sit Adam novus, in visceribus MARIÆ novam Evam providerit, è qua in filios Dei regeneremur. Ad nonam, quòd cùm Deus habitabat in B. V. uterus Virginis factus fuerit paradysus deliciarum, cui assistit cælitum regia non valens satiari tam dulci aspectu. P. Fabius Ambrosius Spinola *in vita P. Caroli cap.* 3.

Vndecimò. Matrona nobilis & pia, Marsilio, in Tuscia quondam Episcopo, sed tunc Coloniæ juxta S. Severini Ecclesiam incluso, hominumq; consvetudinem & parum necessaria alloquia declinanti, fassa est, nunquam se suavissimum MARIÆ nomen pronunciare, quin animus, & os suum ineffabili dulcedine exuberet. Mirari Marsilius, & gratiæ adeo præstantis causam quærere, cui matrona in hæc verba respondit: *Singulis diebus in honore B. V. quinquaginta Ave MARIA, cum totidem veniis* (veniæ sunt genu-flexiones

reve-

reverentiæ aut satisfactionis causâ factæ) *dicere consvevi, per quæ tantam dulcedinem merui, ut omnis oris mei saliva, orationis tempore, in mel videatur conversa.* Cupidus ejus saporis Marsilius idem facit, & post sex septimanas idem obtinet, factaq; est ei MARIA super mel dulcis, & salutatio ejus super mel & favum. Sic Cæsarius *lib. 7. cap. 50.* Hunc ritum orandi cum genu-flexionibus frequentem habuerunt Sancti Dei, sic quippe Garinus testatur de B. Margareta ex Ord. S. Dominici è regibus Ungariæ orta, quod nullam imaginem B. V. transiret, quin genua flecteret, ac Salutationem Angelicam diceret, quam salutationem ante solennes ferias B. V. etiam millies, toties prostrata in genua, iterabat per octiduum.

Stupendum est quòd habet Surius de B. Maria Oegniacensi, *tom. 3. in vita,* quòd sæpe horarum viginti quatuor spatio in honorem Deiparæ centies supra millies ita genua flexerit, ut id sexcenties sine interruptione faceret; subdens interim toties Salutationem Angelicam: posthac addebat psalterium regii Vatis 150. psalmorum, subnectens singulis psalmis singulas genu-flexiones, totidemq; Ave MARIA: deinde trecentis dorsum ictibus, non sine sangvine, flagello multans, Ave MARIA totidem Virgini recitabat: tandem flectens ge-

nua quinquagies, ac toties recitans Ave MARIA, suum Mariani cultus exercitium, & statas mille & centum genuflexiones claudebat, & sæpe ab hoc exercitio ad dies quadraginta non recedebat.

Duodecimò. Margarita Austriaca filia Maximiliani II. (quæ cùm amplexa esset Ordinem Clarissarum dicta est Margarita à Cruce) singulis diebus septimanæ, singula mysteria vitæ, & festorum B. V. venerabatur accommodis ad ea orationibus, v. g. die Dominica Incarnationem, petebatq; per mysterium hoc humilitatem; die Lunæ Visitationem, petiîtq; Charitatem; die Martis Nativitatem Domini, petiîtq; Castitatem &c. Ioan. de Palma *in ejus vita*.

Decimo-tertiò. S. Thomas Cantuariensis solitus fuerat singulis diebus septem Ave dicere, in honorem septem gaudiorum B. V. cui eadem apparens, ait, superesse & alia gaudia cæli, quæ veneranda essent: 1*mum.* quòd maximum in cælis honorem merita sit; alterum, quòd puritate præcellat Angelis; 3*tium*, quòd lumine gloriæ illuminet totam sanctam civitatem Dei; *quartum*, quòd omnes electi eam ut Matrem Dei venerentur; *quintum*, quòd omnia, quæ poscit à Filio, obtineat; *sextum*, quòd singularem gloriam ei de nobis det Deus: 7*mum*, quòd gloria ejus cretura sit usq;

ad

ad finem mundi, ac permanſura in æternum. Ita de eo P. Iodocus Andries in fauſto momento. Quorum eorundem gaudiorum recordationem tanto ſibi bono fuiſſe teſtatus eſt S. Bernardinus Senenſis, ut frequenter dicere auditus fuerit, ſe quidquid gratiæ, & chariſmatum cælitus unquam obtinuerit per devotam B. V. gaudiorum recitationem, obtinuiſſe. In vita.

Decimo-quarto. S. Gertrudis aliàs devotiſſima B. V. quam etiam cùm in morbo crebris ſalutationibus Angelicis venerata fuiſſet, meruit aſpectabilem habere in ſpecioſiſſimo & opulentiſſimo pallio, aureis floribus, quibus, ut loquitur Bloſius *in monili cap* 3. laudes deſignabantur Gertrudianæ; hæc inquam S. Gertrudis docta fuit à B. V. ut ſingulis diebus per Octavam Nativitatis, triginta quinque vicibus oraret: quo modo precandi venerari poſſet B. V. tot diebus in utero Matris commorantem. *lib.* 4. *revel. cap.* 12. Quem modum precandi quotidianum ſibi eſſe volebat Alphonſus noſter Rodriquez, nam quotidie orabat duodecies Ave, & totidem Salve Regina, in venerationem Immaculatæ Conceptionis, volebatq; ſibi tali modo orandi repræſentare horas diei naturalis, quo concepta eſt B. V. petereq; ſimul gratiam, qua à peccatis præſervetur. Ita de eo *Bibliotheca ſcript. Societ.*

Decimo-quinto. Iacobus à S. Laurentio

ex

ex Ordine Redempt. Captivorum Deiparam flexis genibus, quadraginta encomiis ornabat, quæ ipſe invenit, aut è ſacris literis congeſſit: ideoq; eam moriens meruit habere pro aſylo, quando ſuam illam chartam quadraginta elogiis conſignatam iſto rerum articulo manu tenebat: teſtatur Barry *in anno Mariano* 20. *Ian.*

Decimo-ſextò. B. Staniſlaus Koſtka Romæ in tyrocinio Societatis degens manè & veſperè ſe verſùs templum S. MARIÆ Majoris obvertebat, ac flexo utroq; genu ab ea precabatur benedictionem, *Sacchinus in vita.* Sic S. Catharina Sveca filia S. Birgittæ ad initium cujuſlibet actionis præmittebat Ave MARIA. Pater autem Gonſalvus Gomez Soc. IESU priuſquam loqueretur, nomine MARIÆ decies prolato lingvam ſuam conſecrabat.

Decimo-ſeptimò. P. Franciſcus Suarez doctiſſimus ille è Societate noſtra Theologus, ante ſingulas imagines B. V. procumbens Ave MARIA dicebat, ut eſt in ejus vita: quod idem adhuc parvula factitabat S. Clara de Monte Falco, ut teſtatur Iſidorus Moſcovius in vita: quod hodieq; longè plurimi faciunt, ſcientes, quod, ut monet S. Petrus Chryſologus ſerm. 141. *Perfecta charitas hoc debet imagini, quod & Regi.*

Decimo-octavò. Dæmon Lauduni ex energumeno

nergumeno fassus est, se quatuor elogiis B. V. mirificè cruciari, desumptis ex Litaniis Lauretanis, nimirum his: Mater amabilis, Mater admirabilis, Mater Divinæ gratiæ, Virgo potens. Refert Barry *in anno Mariano* 14. *Iunii.*

Decimo-nono. B. Andreas Avellinus ut habet Franc. Bolvit. *lib.* 2. *cap.* 17. *in vita*, eos docebat doloris expertes mori, qui dum viverent, Deiparæ dolorosæ compaterentur: quam quidem gratiam, ait Salmeron noster *tom.* 3. *tract.* 5. Sanctissimæ Virgini datam esse, quòd adstiterit Christo nascenti, & morienti: hinc aliqui nullum diem abire permittunt, quin statis precibus huic mysterio accommodatis, venerentur Virginem dolorosam.

Vigesimo. B. Henricus Suso ita nomen IESU venerabatur, ut post hoc aliquoties prolatum, velut carmen intercalare, audiretur dulcissimum nomen MARIÆ, quasi non satis dulcedinis posset afferre unum, si non & aliud identidem audiretur; quam quidem consvetudinem ita sanctè tenuit, ut nomen Henrici in nomen Amandi Divinitus illi mutatum fuerit. *In vita.* Ad eum modum magnus ille Brasilorum Apostolus P. Iosephus Anchieta è Soc. IESU neo-conversos suos instruebat, ut divisis in choros hinc pueris, inde puellis, more Seraphino alter ad alterum clamarent benedicentes SSS. Trinitatem, IESUM & MARI-

AM

AM: pueri ordiebantur: *Benedictum sit dulcissimum nomen IESV*, respondebant parvulæ: *Et gloriosum sit Sanctissimum nomen MARIÆ Virginis*, tum canebant rosarium addito, seu interludente choro, dicenteq́; Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto. Beretarius in vita. Quæ quidem devotio, quantum dulcedinis attulerit Angelis Dei, considerandum relinquo, maximè cùm ex ore infantium proficisceretur illorum, qui heri nihil sciverunt de IESU & MARIA, hodie pleno iis psallunt choro.

Addo hìc modum quendam orandi observari solitum ab amatoribus MARIÆ, quem quidem ut B. V. gratissimum, sic sine dulcedine spiritûs dici non posse existimo; est autem hujusmodi: revoca tibi virtutes singulas B. V. earumq́; excellentiam morando in singulis, quantum ter possit dici oratio Dominica, postq́; singulas earum benedic Deum propter eas & in iis, v. g. Amor Deiparæ in Deum fuit super omnia, & super omnes, habuit enim pleniorem notitiam bonitatis illius, amavit enim Deum ut Filium, qualiter nulla alia creatura amare potuit, nec impediri potuit ab ulla re creata, quin amaret intensissimè &c. tum subde: Magnifico te Deus, & amo magnificatum amore MARIÆ, magnifico & amo te MARIAM, per quam tali amore magnificatur Deus: Humilitas

militas Virginis profundissima fuit, quia persona dignissima omnium creaturarum exinanivit se, ut quæ Mater Dei erat, ancilla haberi vellet; ut ministraret in domo Elizabeth, ut Cæsari subdita pergeret in Bethleem, ut se velut immundam puerperam inter peccatrices haberi vellet: fuit maximè meritoria, quia etsi ex Virginitate placuit, tamen ex humilitate concepit, & per eam ascendit usq; ad thronum Dei, juxta quem adstat Regina in vestitu deaurato: Magnifico & amo te Deus, sic magnificatum humilitate MARIÆ: magnifico & amo te MARIAM, per quam tali humilitate magnificatur Deus. Virginitas ejus fuit commendatissima, quia eam in, & post partum retinuit, quia eam primò vovit, idq; tunc, cùm foret invisa omnibus. Magnifico & amo &c. Charitas proximi fuit ardentissima, ex hac consensit Angelo nuncianti: operosissima; ex hac servivit in domo Zachariæ: benevolentissima; ex hac egenis subvenit in Cana, imò & carnifices Filii sui dilexit. Magnifico & amo &c. Simili modo adire potes omnia attributa Dei, eaq; benedicere ob communicationem sui factam B. V. Sapientiam, quæ dependenter à MARIA modum invenit, ut & irato Deo satisfieret ex justitia, & tamen misericordiæ locus esset: Misericordiam, quæ in utero Matris misericordiæ ex Deo zelote & Domino ultionum, fecit Patrem misericordiarum

fericordiarum: Iuſtitiam quæ tam miro modo per Filium Virginis Adæ debitum ſolvit; aliaq́; attributa Dei, quæ poſt partum Virginis magis manifeſtata ſunt, cùm antea eſſent attributa ferè ignoti Dei. Sic vade ad omnes Angelorum choros, & generationes juſtorum, incipiendo ab Abel juſto, ac virtutem, in qua quisq́; excellit, compara virtuti Marianæ, ac benedic Deo, quod hæc, ut ſol umbram, mare guttam, ac quadamtenus ut infinitudo rem finitam excedat.

Claudo materiam hanc de modis orandi MARIAM, optans, ut quod ait Thom. à Kemp. ſolil. c. 24. *Creber in ore, ſemper autem in corde IESVS verſetur & MARIA*, imò optans, ut vita tua ſit canticum MARIÆ, & pſalmus, cujus finis ſit Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto, gloria & MARIÆ: ſic quippe fiet, ut hoc faxis continuò, quod faciendum ſibi propoſuit P. Thomas Sanchez è Societate noſtra, vir doctrinæ & ſanctitatis eximiæ, in cujus libello precatorio, hæc ad verbum ſcripta inventa ſunt: *Omnis mea cura erit venerabilis Euchariſtia, IESVS crucifixus, Virgo MARIA, erga quam ſingulari ſtudio afficiar, ad illam, ut ad Matrem in omnibus meis neceſſitatibus recurram, perq́; eam Deo gratias agam, pro quovis opere facto in Dei obſequio; per eam ve-*

niam

niam, precabor pro quovis defectu admisso, per eam illos Deo commendabo, qui mihi molestiam aliquam exhibuerint. Refert Balingheim *in Calend. Mariano* 19. *Maii.*

Modi ſeu Exempla aliqua Colloquiorum de excellentiis B. V.

ALterum, quo amorem erga Matrem tuam ore probes, Fili MARIÆ, eſt frequens de ea colloquium; hoc in genere vellem te ita ſtudioſum ac ardentem, ut poſſis dicere cum Petro Cellenſi: lib. 6 ep. 23. *Equidem cataractas cæli, & fontes abyſſi libentiùs in obſequium ejus ſolverem, & ſi Filius ejus IESVS aliquid omiſiſſet in prærogativa exaltationis ſuæ Matris, ego ſervus, ego mancipium uſq; ad exinanitionem mei ſupplere geſtirem*; ſic quippe ingenioſum amorem in te ipſo graphicè depingeres, utpote qui ſaturari non poteſt laudibus de dilecta: hinc quamvis ſcias verum eſſe illud Arnoldi Carnotenſis, tom. 1. hom. PP. de laud. B. V. *Si linguis*

ho-

hominum loquar, & Angelorum, nihil dignè, nihil propriè de MARIÆ gloria eloqui potero. Cùm, quòd canit Ecclesia Græca, in Menæis 12. Maii *omnes rhetorum leges ad ritè laudandum inventæ, magnitudine gloriæ ejus vincantur:* laudare tamen usq; & usq; averes, cumq; plura, & plura adinveniires encomia, in hoc quietem poneres, quòd nunquam satis tibi esset de dilecta.

Filiationem naturalem ex variis probant capitibus Iuristæ, alii ex testibus de publica voce, & forma ac communi reputatione, *ut habetur in Summario num.* 16. 17. & 23. alii ex nominatione utriusq; parentis: *ibidem* ex effigie valde simili, &c. quæ tamen omnia tam seorsim, quàm conjunctim fallere possunt, ut iidem docent. Filiationem Marianam amore probari dixi suprà; hic addo: tam filiationem quàm amorem ipsum ex lingva probandum esse. Dic Scibboleth, nomina MARIAM, loquere de præcellentiis & laudibus ejus, & certò deprehendetur, an ad eam pertineas.

Florentiæ piorum quorundam Sodalitas erat, quorum una occupatio erat loquendi de laudibus B. V. horum primos cùm vidisset S. Philippus Bennitius nondum annum egressus (ille qui postea ob eximia quæ de B. V. dicere solebat, passim vocabatur Apostolus Dei Matris) Divinitus loqui didicit hæc verba: *Isti*

sunt B. V. servi; hi postea in ordinem redacti, Servitæ, seu servi B. V. vocati sunt, ut habetur in *Chron. Ord. Serv.* Vide sis hìc vocem publicam, vocem veram & candidam, utpote infantis, idq; Deo acceptissimi, quâ ad MARIAM pertinere dicuntur, qui de prærogativis, ac laudibus ejus frequentes agunt: vide sis & testimonium, seu nominationem parentis.

Raderus *in Bavaria pia*, & Bourghesius *in Soc. Deiparæ. sacra*, *cap.* 22. narrant, quòd Congregationem, quandam dictam Sodalitatem Colloquii erexerit, Ingolstadii P. Iacobus Rhem, magnæ vir opinionis, quæ pro instituto haberet cælestem Dominam, appositis suo tempore colloquiis honorare; proferebat è penu sua quivis per circulum, quem de titulis ejus maximè rebatur insignem è Litaniis Lauretanis, aut è Sanctis Patribus, super cujus explicatione laborabat: In ejus sodalitii sacrario cùm aliquando decantandis Litaniis Lauretanis interesset, ac vellet scire, quodnam encomium B. V. gratissimum foret, ventumq; esset ad verba illa *Mater admirabilis*; aspectabilem habere meruit Matrem Dei, dicentem: hunc esse titulum, quo maximè gloriaretur; quare insolita voluptate perfusus Pater, in medium prorumpit, & exclamat; hunc titulum crebrò repeterent, hunc esse, qui Matri Vir-

gini esset gratissimus. Matrem canerent admirabilem, quæ, ut hoc narrato explicat Niremberbergius, *de amore B. V. cap.* 16. verè esset admirabilis, quia est Mater Dei, mater sui conditoris, mater ejus, qui est pater ejus, imò pater totius creaturæ: matrem canerent, quæ est admirabilis, quia est Mater talis Filii, quo nec Deus meliorem habet; talis Filii, qui est persona infinita, qui est Deus & homo: Verè Mater millies admirabilis, quia est Mater, & Virgo; quia magìs propriè Mater est, quàm ulla unquam fuerit; magìs Virgo, quàm omnes simul Virgines; quia Mater sine dolore puerpera, sine fæda voluptate concipiens, sine labore gravida. Mater admirabilis, quia Mater esse noluit, nisi Filii, quem voluit, non voluit autem minorem, quàm ipsius Dei Filium. Quia cùm sit Mater Dei, non renuit esse Mater peccatorum, Mater misericordiæ, Mater virtutum omnium: admirabilis Mater, quia sicut Deus est Pater admirabilis, eò quòd sit Pater & Virgo, & Pater Dei: ita MARIA Mater Virgo, & Mater Dei: Amabo te, utrum credis admirabilius esse? num quòd Deus generet Filium Deum, an quòd creatura aliqua generet illum ipsum Deum, num quòd Deus generet Virgo, id quòd aliter fieri non poterat? an quòd puella generet Virgo, id quod non ita fieri poterat? num quòd Deus generet Filium suum ab æterno

no? an quòd MARIA generet æternum in tempore? num quòd Deus ingenitus generet Filium? an quòd MARIA generet eundem ab æterno genitum? num quòd Deus generet eundem, qui eſt ejuſdem ſecum ſubſtantiæ? an quòd MARIA generet eum, qui eſt unius cum Deo ſubſtantiæ? num quòd Deus generet ſempiternum? an quòd creatura generet ſempiternum mortalem. Hæc & plura talia tunc loqui videbatur plenus amore bonus iſte Pater, quibus pateret, 1*mò*. quanta ſit voluptas aſſveviſſe loqui de magnalibus MARIÆ? pateret 2dò. apertum, in quo ſibi complaceat Matris admirabilis titulum fuiſſe illi, qui de prærogativis ejus laudes perſolvendi aliis autor erat: quaſi enim ſic ei loqui videbatur Virgo: fruſtra aliud ex me quæris elogium extra me, & te ipſum; relatio Maternitatis, quâ ad te Filium referor, omni panegyri melior eſt: quid quippe dulciùs audiat Mater, quid loquatur Filius Matri, quàm hoc ipſum Matris nomen; Matrem me voca, Matrem quidem Dei, & tuam, admirabilem in utroq́; utrobiq́; fundatam in Verbo, in primo quidem tanquam in eo, quod erat in principio, & in tempore Caro factum eſt; in altero autem, quod eructat homo honori meo.

Sed nec effigiem Matris in teſtimonium filiationis deſiderare potes, amor enim etiam hic aut ſimiles invenit, aut facit. Clem. Alex.

lib. 7. Stromat. versus finem. *Quemadmodum*, ait, *si quis in Ischomacho studium posuerit, eum faciet agricolam, etsi Lampidi nautam, & Charidemo Imperatorem, & Simoni equitandi peritum, & Perdici cauponem, & Crobylo obsoniorum conditorem, & Archelao saltatorem, & Homero Poëtam, & Pyrrhoni contentiosum, & Demosthenï Oratorem, & Chrysippo Dialecticum, & Aristoteli Physicum, & Platoni Philosophum; ita qui paret Domino, & per eum datam sequitur prophetiam, efficitur ad Magistri imaginem Deus, qui in carne versatur*: quæ Sancti Patris ratiocinatio si quid valet, nemo non videt, quàm bene addi possit; Marianum effici, filium effici, similem effici, qui studium suum posuerit in exaltatione MARIÆ, in exaltatione Matris suæ.

Loquere fili, ut te videam, verúsne partus sis benedictæ Matris; *neq; enim*, loquor cum S. Basilio Seleuc. Episc. orat. de annunc. *quorumlibet est, promeritas laudes Virgini persolvere, sed eorum, qui Divinæ gratiæ lumine insigniter illustrati sunt, & ipsam tenerrimè amant*. Et suprà: *opus hoc eorum esse judico, qui sublimium rerum contemplatione plurimùm valent, corpusq; & animam probè repurgatam habent*, id est, qui filii sunt ejus: decerta pro Matre tua, memor

ejus

ejus, quod habet S. Ildephonsus lib. de Virg. & parturitione B. V. inquiens: *Pro MARIA dimicare, & vincere, opus est Spiritus S. & virtus Altissimi, qui eam obumbravit:* adde: est etiam opus filii, qui tali certamine genuinum tam amatæ Matris se filium probat: enarra justitias MARIÆ; enarra, quæ ei fecit magna, qui potens est, quamq́; ipse Deus ab, & coram hac ancilla sua magnificatus est, ut orbi pateat, te dignam esse tantæ Matris sobolem. Ad quod, ut te magìs, magìsq́; incitem, præeo, ac aliquot discursibus præludo iis, quos ipse amor filialis tuus inveniet meliores.

DISCURSUS 1mus.

Super illo textu S. Augustini dicto de B. V. tom. 10. serm. de Assumpt. *Si formam Dei te appellem, digna existis.*

PRimò. Per formam Dei accipe pulchritudinem Dei; hæc enim est illa, de qua S. Greg. Nicomediensis, de oblat. Virg. quòd sit *pulchritudo omnium pulchritudinum, pulchrorum omnium ornamentum*, ipsaq́; pulchritudo Dei; non ideo solùm, quòd eâ captus Deus fuerit, qui ut tigris olim sæviebat, sed quòd ipsa quodammodo in eandem pulchritudinem Divinam transformata sit; si enim verum est,

quòd

quòd ſpeculantes gloriam Dei in eandem imaginem pulchritudinis transformamur, teſtante Apoſtolo, quòd *ſimiles ei erimus, quia videbimus eum ſicuti eſt:* quantò magìs transformetur, quæ cæteris clariùs videt? Si verum eſt, quod ait Nazian. quòd *ſolus Divus amor formoſos reddit amantes*, quia transformat in amatum, neceſſe eſt ipſa pulchritudine Dei formoſa ſit MARIA, quæ una omnium excedit amores; ſi pulchritudo Dei eſt ipſe Filius Dei, idem autem Filius Dei eſt etiam pulchritudo Matris ſuæ, ut ait Rupertus lib. 1. in Cant. vocans eam *pulcherrimam mulierum, cujus pulchritudo eſt ipſe benedictus fructus ventris ejus*, neceſſe eſt MARIAM eſſe pulchritudinem Dei, cùm ejus pulchritudo ſit ipſa pulchritudo Dei unigenitus Filius Dei: ſi quantò quis magìs appropinquat luci, tantò lucidior eſt; neceſſe eſt ipſa ſit pulchritudo Dei MARIA, utpote quâ magìs appropinquare pulchritudini Dei nulla creatura poteſt. Bene Greg. Niſſenus hom. 4. in Cant. de illa: *Appropinquans primariæ & exemplari pulchritudini, ipſa quoque pulchra es, veluti quoddam ſpeculum conformata Divino charactere.* Quod contemplans Salazar, in pròv. c. 31. n. 209. non veretur dicere: *pulchritudinem Virginis non ſolùm naturæ, ſed miraculo tribuendam eſſe.*

Quan-

Quanquam & alio modo posse dici pulchritudinem Dei B. V. colligo ex iis, quæ habet idem Nissenus, dum ait: *Quemadmodum is, qui in tabula picturam videt accurate ad archetypum conformatam, unam utriusque pulchritudinem dicit, archetypumque in simulachro clarè conspicit; similiter sponsa cum ait, ego cognato meo &c.* Applica B. V. similiter, qui videt Virginis pulchritudinem, ait unam esse formam cum Archetypo, ad quem exactissimè facta est. Verè igitur pulchritudo Dei MARIA est, quæ si oculis cerneretur, mirabiles in se amores excitaret, 4. Esdr. 5. *Ex omnibus arboribus elegisti vineam unicam, ex omnibus floribus orbis lilium unicum, ex omnibus ædificatis civitatibus sanctificâsti tibimet ipsi Sion, & ex omnibus creatis volatilibus nominâsti tibi columbam unam, & ex omnibus plasmatis pecoribus providisti tibi ovem unam; adde,* ex omnibus pulchris elegisti tibi MARIAM, quam ob ejus pulchritudinem in originali totius humani generis incendio, ut quondam ille, qui ait *servate mihi Adonidem,* servares illæsam. Stat ergo quòd per formam Dei intelligatur pulchritudo Dei, de qua Spiritus Sanctus, aut Filius Dei dicat illud, Sap. 8 *Hanc amavi, & exquisivi à juventute mea, & quæsivi sponsam eam mihi assumere, & amator factus sum formæ illius.* 2do.

2do. Per formam Dei intelligi potest ipsa species, quâ videtur Deus. Ajunt Philosophi nullas res videri posse, nisi per species, quibus mediis fiat visio: talem speciem Dei, quid impedit vocare Virginem, cùm per eam reluceat totus, quantus est Deus. Sanè si verum est, quod ait Apostolus: Rom. 1. *Invisibilia Dei, per ea quæ facta sunt, conspici*, oportet per eam, quæ princeps creaturarum est, meliùs conspici Deum invisibilem; si magnus Deus in Sanctis suis videtur, & est: oportet maximus videatur, & sit in ea, quæ est vivum totius sanctitatis compendium; si quò quis justior est, eò magìs Dei refert perfectiones; oportet referat optimè, quæ justitiæ omnis exactissima amussis est: bene Chrysologus serm. de annunc. inquit, *tanta est, Virgo, ut quantus sit Deus satis ignoret, qui hujus Virginis mentem non stupet, animum non miratur*. Multæ fateor & magnæ virtutes sunt MARIÆ, omnes tamen ita ab illa procedunt, ut per eas magìs clarificetur, magnificetur & manifestetur Deus, quàm ipsa; nec enim sibi justa & bona est MARIA, sed Deo, ideoq́; vita ejus similis tersissimo speculo est, in quod Deitas incidens, formam suam videndam relinquat. Ita hanc formæ Dei appellationem accipere videtur Origenes explicans illa verba Luc. 2. Magnificat anima mea Dominum, sic enim loquitur:

Quæ-

Quæritur, quomodo anima MARIÆ magnificet Dominum? si enim Dominus nec augmentum nec decrementum recipere potest, quid est, quare nunc MARIA loquatur, Magnificat anima mea Dominum? & paulò pòst: *Vnusquisq; nostrûm ad imaginem Dei formans animam suam, aut majorem ei aut minorem ponit imaginem: Quando igitur grandem fecero imaginem, & magnificavero eam opere, cogitatione, & sermone, tunc imago Dei grandis efficitur, & ipse Dominus, cujus imago est anima nostra, magnificatur.* Ita hanc appellationē formæ dignata est exponere ipsa Mater Dei S. Birgittæ lib. 1. revel. cap. 42. dum ait: *Deitas conclusit me in se, cum anima & corpore, & implevit me omni virtute, ut non sit virtus in Deo, quæ non splendeat in me.*

3tiò. Per formam Dei intelligi potest gloria Christi; ab hac enim iste formosus in stola sua decorem accepit, cùm in forma servi inventus est, quia accepit carnem, in qua gloriosus apparuit in conspectu Domini. Sanè gloriam hanc Christi ille non capit, qui non credit exaltatam usq; ad thronum Dei Christi humanitatem: magna est gloria ejus in salutari suo usq; ad communicationem ipsius increatæ gloriæ; nam eadem est gloria Dei, quæ Christi; sicut enim idem Deus est, qui Christus, sic eadem glo-

ria

ria Christi est, quæ Dei: Hanc ipsam tamen gloriam suam aliunde non habet Christus, quàm à MARIA, cùm aliunde carnem, non habeat, quàm à MARIA: quo in loco occurrit mihi illud dictum Sostratis militis apud Valer. Max. l. 5. c. 6: hic eunti ad bellum Codro vestem commodarat, in qua contra voluntatem hostium (habebant isti oraculum se vincendos fore, & Athenas obsidione liberandas, si Codrus Rex occubuerit, quare vetuerunt quidquam molestiæ aut periculi ei inferri) in qua inquam veste, contra voluntatem hostium, Rex occisus est; cujus cadaver cùm in urbem victricem inferretur, acclamavit populus: *O Codre, magna est gloria tua! quia pro subditis Rex occubuisti!* subjunxit Sostrates: *Quis Codrum gloriosum effecit, nisi unus Sostrates?* Ita planè magna est gloria Christi, quia pro subditis Rex occubuit, at quis eum ita gloriosum effecit, nisi illa, per quam habitu inventus est ut homo. Huic formæ Dei explicationi videtur intendisse Albertus Magnus, cùm sic ad verbum de ea loquitur. postil. super cap. 11. Luc. *Forma Dei Virgo est, ad quam æterni Patris imago figuratur, est enim Filius imago Dei invisibilis, unde Sap. 7. dicitur, quod est speculum sine macula Dei Majestatis, & imago bonitatis illius; hæc igitur imago figuranda in formam hominis, formaculum accepit ute-*

rum Virginis, sicut sigillum mundissimum in cera imprimitur mundissima, & sic imago Patris facta est ad imaginem Matris.

4*tò*. Per formam Dei intelligi potest norma, qua operatur Deus, illa inquam norma, de qua Aristoteles: *primum*, ait, *in unoquoque genere, est norma cæterorum*: talem normam esse Virginem, patet ex eo, quòd condita fuerit ante omnem creaturam, antequam quidquam faceret Deus, à principio, & ex antiquis, antequam terra fieret: unde bene eam S. Andreas Cretensis in menæis die 1. Aug. de SS. Machabæis vocat *ideam totius Trinitatis*; & alii Patres: *exemplar, quod inspiciendo operetur Deus*. Zeuxis tabulam picturus Agrigentinis, ad templum Iunonis Laciniæ formosissimas totâ Græciâ elegit puellas pro exemplari, juxta quarum pulchritudinem tabulam absolveret: unam sibi pro condendo universo elegit ideam Deus MARIAM, juxta cujus pulchritudinem magnam hanc terræ molem absolveret. Hæc est illa *creatura pura* (verba sunt Ernesti Pragensis in Mariali cap. 84.) *in qua illa artifex omnium Dei Sapientia excitavit, & fecit spiritualiter, quidquid excogitari potest in omni opere, ex auro, argento, ære, & marmore, & gemmis, & diversitate lignorum, opere gemmario, carpentario, polymitario, & plumario, sicut legitur*

dè

de Beseleel Exod. 31. 35. & de Hajam 2. Paral. 2. in qua omnis creatura terrena & spiritualis dotes suas velut in absolutissimum compendium contractas videre possit; hinc est quòd dicatur cum Deo fuisse cuncta componens saltem per modum normæ, & exemplaris, cùm Deus ipse cuncta faceret à principio. Deniq; etiam pro secuturis temporibus suam esse normam voluit B. V. juxta quam operemur bona; talis enim est MARIA, ut illius vita omnium disciplina sit, & norma totius justitiæ; quam qui tenet, declinare nequeat in insanias falsas.

5tò. Per formam Dei intellige perfectionem, quâ Deus universum perficit, sicut per formas physicas materiam primam: informis sine hac mundus noster, nam & in Angelis suis reperit pravitatem; perfectus est cum hac, quæ nulli unquam nævo fuit obnoxia: exhibuit in ea Deus, quantùm posset Omnipotentia, nôsset Sapientia, vellet Bonitas, sicut aliàs probus artifex, quantumvis in omnibus operibus suis excellens est, in uno tamen aliquo opere magisterii sui exhibet perfectionem: hinc est, quòd S. Thomas ait eam illi inesse perfectionem, ut majorem Matrem Deus facere non potuerit: & S. Bernardinus Sen. tom. 1. serm. 61. Idem tom. 2. serm. 51. art. 3. cap. 5. quòd facta sit *perfectio totius creatæ naturæ, o-*

mnes

mnes enim naturas & mundi perfectiones, ultima sua perfectione Virgo Sacra complevit per partum suum: amplius addit Ubertinus Cassalius lib. 1. de arbore vitæ, c. 6. apud eundem S. Bernardinum, quod *tanta eam perfectione produxit virtus Dei, ut perfectio illius soli Deo cognoscenda reservetur.*

6to. Per formam Dei intellige modum, quo utitur Dei sapientia ad agendum causam nostram, siquidem dependenter ab hac forma pro nobis intercedit, imò quem ipsa Dei sapientia providit mundo ad loquendum pro salute sua. Concludere rectè nemo potest, nisi in hac forma argumentetur, ut loquitur S. Germ. Constantinop. de zona B. V. inquiens: *Nullus est, qui salvus fiat, nisi per te Virgo Sanctissima; nemo est, qui liberetur à malis, nisi per te o Virgo purissima; nemo est, cui donum concedatur, nisi per te, o castissima; nemo est, cui misereatur gratia, nisi per te ô honestissima.* Beneficio formæ hujus habes, quòd tibi nihil noceant sophismata diaboli, tunc maximè, quando dices: Conscidisti saccum meum, circumdedisti me lætitiâ.

7mo. Per formam Dei intellige animam Dei, quia per eam Deus quodammodo vivit in cordibus hominum; si enim per Sanctorum operam Deus vivit in cordibus fidelium, vivet utiq; per eam, quæ est Mater omnis sanctita-

tis, & à qua omnis sanctus habet, quòd sanctus est. Quòd Virgo vitam mundo inspirârit perdito, docent Patres, hoc si verum est, anima esse debuit, & anima Dei, cùm reparatus mundus vivat vitâ Divinâ. Eunapius in Iamblicho, de Alipio suo non minùs mendaciter, quàm adulatoriè olim dixit, eum esse *totum animam*: veriùs id de B. V. dixerim, per eam enim mundus Deo vivit, imò per eam Deus vivit in mundo; nam nisi tu Virgo fuisses, & voluisses, non viveret mundus, seu quòd idem est, Deus mundum non animaret. Refero huc illud, quod S Leocadia Virgo & Martyr oranti ante corpus ejus S. Ildephonso Episcopo olim dixit: *Ildephonse per te vivit Domina mea*, per quod allusit ad librum, quem sanctus iste scripserat, de Virginitate Deiparæ, ut habetur in vita: Per te Domina vivit Dominus meus, in te enim non corporaliter modò animatus est, cùm primò fieret homo, sed quotidie animatur, cùm mortuus Deo mundus rursum vivit, & vivit Deo. Est & alio modo anima Dei Virgo, quia in ea est amor Dei animans & vivificans; si ergo anima plùs est, ubi amat, quàm ubi animat, utiq; in Virgine est anima Dei, quia quantùm nusquam est, in Virgine amor est. Allusit ad hoc S. Franciscus Salesius, lib. 9. de amore Dei, cap. 14. dum ita Dominum IESUM loquentem inducit: *Videor mihi esse proprium*

Ma-

Matris meæ cor in medio pectoris, vel ipsius anima in ejusdem cordis centro constituta, hinc est, quod sicut ejus gressus & incessus sat est pro illa & pro me, ita voluntas ejus sufficit pro illa & pro me.

8vo. Per formam Dei intellige, quòd habuerit actus similes Divinis; qualiter formam accipit S. Leo, dum ait: *Frustra appellamur Christiani, si imitatores non sumus Christi, qui ideo se viam dixit esse, ut conversatio Magistri, forma esset discipuli.* Et in hoc sensu Patres eam vocant Deiformem, seu, ut loquitur Albertus Magnus apud D. Antoninum p. 4. tit. 15. cap. 43. *quod Deiformissimos actus habuit, & in summo actu Deum imitata fuit.* Et certè si ulla creatura aliquantùm per imitationem accedit ad creatorem, accessit supra omnes MARIA, quam idcirco Andreas Cretensis orat. 2. de Assumpt. vocat, Divini archetypi imaginem rectè descriptam, & Divinorum attributorum epitomen: in hac relucent attributa Dei, virtutesq; supra creaturam majores, in hac expressissima imago totius potentiæ, sapientiæ, ac bonitatis Divinæ, in hac genuina similitudo, quantùm tamen inter puram creaturam ac Deum esse potest, reperitur. At hìc non moror, cùm sciam alibi rediturum de hoc sermonem.

DISCURSUS 2dus, ſuper illo textu Heſychii ſerm. 2. de laud. Virg. habetur tom. 2. biblioth. novæ, *B. V. eſt complementum Trinitatis.*

QUo quidem elogio an aliud inſignius ſit, dubito, alia enim elogia ut plurimùm petuntur à rebus creatis reſpectum aliquem dicentibus ad B. V. fereq́; ſunt minora ipſâ Virgine; hoc autem elogium petitur ab ipſo Deo, videturq́; eſſe longè excellentius ipſâ Virgine. Porro ſi per complementum Trinitatis intelligis complementum Dei intrinſecum, blaſphemus es, nec laudas Virginem ſed colaphizas, ſicut non laudârunt Collyridiani, dicentes eam Deam eſſe, nec Deum ſine ea completum eſſe, ſed colaphizârunt. Bene Bern. ep. 141. *Honor,* ait, *Reginæ judicium diligit; Virgo Regia falſo non eget honore, veris cumulata honorum titulis laudari vult, ſed diſcretè, non autem blaſphemè.* Igitur elogii hujus ſenſus eſt.

1*mo*. B. V. eſt complementum Trinitatis, quia cùm eam produxit, fecit opus completiſſimum; alia opera quantumvis perfecta erant, Dei enim perfecta ſunt opera, adhuc tamen compleri poterant: B. V. autem ita perfecta eſt, ut

ut ampliùs compleri non potuerit: Hinc Patres passim eam illi perfectionem tribuunt; quâ major sub Deo nequit intelligi, nominatim S. Thomas in 4. dist. 30. q. 2. a. 1. inquiens: *In B. V. apparere debuit omne illud, quod perfectionis fuit:* imò ferè adimunt potentiam Deo perfectiorem creandi, qualiter S. Bonav. in speculo cap. 8. ait: *Majorem mundum potest facere Deus, majorem Matrem quàm Matrem Dei facere non potest:* Et iterum S. Thom. 1. p. q. 25. art. 6. *quod nihil eâ melius fieri possit, sicut nihil potest esse melius Deo.* Quamobrem in hoc opere videtur Deus exhibuisse magisterium virtutis, & Omnipotentiæ suæ, ad instar proborum artificum, qui quamvis omnia opera sua exactè faciant, unum tamen aliquod tale efficiunt, quo ostendant, quanta patrare possint, quodq; sit reliquorum omnium complementum: Et tale opus videtur fecisse Deus, in B. V. hoc enim unum exprimit præ omnibus potentiam artificis, estq; complemẽtum virtutis ejus operantis ad extrà.

2dò. B. V. Complementum Trinitatis est, quia quas aliis quasi incompletas contulit, in eâ complevit, & in unum collegit dotes suas; particulas alii Divinæ Trinitatis participârunt, dum alii innocentiam unam, alii unam bonitatem, unam alii justitiam, & singulas singuli virtutes acciperent; totam, ac totius Tri-

nitatis dotes accepit MARIA; in illa perficienda Pater Omnipotentiam, Filius Sapientiam, Bonitatem Spiritus S. impendit, ob hanc causam Archangelus eam plenam gratiâ dicit, id est, completam iis donis, quæ particulatim aliis distributa sunt, ut explicant Patres, nominatim S. Hieron. serm. de assumpt. Virg. inquiens: *Cæteris per partes præstatur, MARIÆ verò simul se tota infudit gratiæ plenitudo.* Et B. Arnoldus Carnot. tract: de laud: B. V. *B. V. MARIA*, ait, *creaturis constat omnibus, quidquid enim creator singulis justus distributor contulit, Matri adornandæ congessit.* Ampliùs autem Bernardinus, tom: 1. serm: 61. art: 2. c. 10. *excepto Christo*, ait, *tanta gratia Virgini à Domino data est, quantùm uni puræ creaturæ dari possibile est.* Propter quæ alii B V. non tantùm opus completissimum Trinitatis vocandum censent, sed opera Dei completissima, applicantes de una, illud ps: 45. *Venite & videte opera Domini, quæ posuit prodigia super terram*: ajuntq; non minùs justè eam vocari opera Domini, quia quod habetur in singulis, totum habetur in MARIA; quàm justè dicitur homo esse omnis creatura, quia unus possidet, quæ divisim habet omnis creatura.

3tiò. B. V. Complementum Trinitatis alio etiam titulo dici posse, colligo ex iis, quæ

habet

habet S. Bernardinus Sen: tom: 1. serm: 61. de illa, dum dicit, quòd ipsa sit *finis omnis consummationis, non enim solùm perfectionibus orbis ultimam perfectionem, sed & ipsi universitatis auctori nonnullas perfectiones adduxit, puta æterno principio, inceptionis exordium; æternitati Divinæ, temporalem periodum; infinitati immensæ, quantitatem corpoream; speciei æternæ, pulchritudinē novam*: & ex iis, quæ habet S. Methodius orat: in hypapante. Tu, inquit, *fidelium fax, tu incircumscripti (si ita quidem loqui fas est) circumscriptio, tu cuncta continentis, & comprehendentis comprehensio*. Quomodo verò has perfectiones Divinas compleverit, colligi potest ex perfectione misericordiæ, quæ quidem in Deo semper fuit completissima quoad potentiam & promptitudinem liberandi creaturas à miseriis; secundùm affectum tamen compassionis videtur aliquid illi accessisse saltem secundùm nostrum modum concipiendi: quod innuere videtur Apostolus Hebr: 2. cùm ait, *Christus debuit per omnia fratribus assimilari, ut misericors fieret*, id est Deus debuit accipere carnem & sangvinem, ut compati posset misericorditer infirmitatibus nostris. Sic circà hanc materiam discurrit Ioannes Baptista Novatus, *de eminentia B. V. tom: 2. cap: 7. quæst*: 28. Colligi item potest

ex iis, quæ habet Salazar *in cap: 8: prov: vers: 23. n.* 304. ex P. Hieronymo de Florentia, quia ipſa quodammodo contulit Deo Patri & Filio, ut ille eſſet quaſi ſecundo ſeu bis Pater naturalis, nam, ut Theologi docent cum Vasquez *in 3. partem* D. *Thomæ diſp*: 89. *à cap*: 4. Chriſtus etiam quà homo, eſt Filius naturalis Dei; item contulit Filio Dei quaſi ſecundum reſpectum filiationis temporalis naturalis; quem reſpectum temporalis generationis non habuit Pater æternus, & Filius Dei naturalis ab æterno, ſed tantùm habuit reſpectum generationis æternæ. Iam verò cùm Spiritus Sanctus ſit vinculum Patris, & Filii naturalis non tantùm ab æterno, ſed etiam in tempore geniti, novus ei etiam per Virginem quodammodo videtur acceſſiſſe reſpectus, nexûs videlicet Patrem & Filium in tempore vincientis. Ad quos quidem reſpectus complementum Trinitatis fuit Deipara, eo temporis inſtanti; quo virtus Altiſſimi in Virgine operata eſt mirabile illud, ut naturaliter eſſet unus idemq; Dei Patris & Virginis Filius.

4to. B. V. eſt Complementum Trinitatis, quia eam totus Deus complet, quæ quidem completio figurata videtur 2. *Paral*: 5. *&* 3. *Reg*: 8. quando gloria Domini complevit domum Dei; innuitq; videtur ab Archangelo in illis verbis, Dominus tecum, quamvis enim in

aliis

aliis sit per auxilium, & protectionem, in aliis autem per gratiam, quasi complendo potentiam eorum operatricem ad bonum, sicut optat Salomon, cùm ait: Sap: 9. *Mitte Sapientiam de cælis sanctis tuis, ut mecum sit, & mecum laboret:* in B. V. tamen singulari modo fuit tota Trinitas per conjunctionem ac completionem in ordine ad operandum mysterium Incarnationis, Pater quidem, quia ejus virtus illi obumbravit, Spiritus Sanctus, quia in eam supervenit. Filius autem, quia in utero ejus factus est homo: aut ut loquitur S. Bern: serm: 3. super Missus est, *Dominus Filius tecum, quem carne tua induis, Dominus Spiritus Sanctus tecum, de quo concipis, & Dominus Pater, qui genuit quem concipis: Pater, inquam, tecum, qui Filium suum facit tuum: Filius tecum, qui ad condendum in te mirabile sacramentum, miro modo & sibi reserat genitale secretum, & tibi servat virginale signaculum; Spiritus S. tecum; qui cum Patre & Filio tuum sanctificat uterum:* Quæ quidem omnia aliter fieri non potuerunt, quàm complendo Virginem ad opus tam mirabile. Et hic sensus videtur esse Hesychii, nam ait: quòd B. V. sit *complementum Trinitatis, quandoquidem & Spiritus S. adveniebat, & hospitabatur, & Pater obumbrabat, & Filius utero gestatus*

inhabitabat. Serm: 2. de laud: B. V.

5to. B. V. eſt complementum Trinitatis, quia complet gloriam extrinſecam ejus tantùm, quantùm nulla alia creatura; ſicut enim nulla creatura eſt quæ plus habeat ſanctitatis; ita nulla eſt, per quam plùs ſanctificetur, ac habeat plus extrinſecæ gloriæ Deus; quàm per illam unde ſi alterutro carendum eſſet, Virgine, aut reliquis creaturis omnibus, elector optimus, reliquis creaturis etiam ſimul ſumptis carere mallet, quàm Virgine, cujus unius merita ſic ſe habent ad merita reliquorum ſanctorum, ſicut ſe habet mare ad guttam, ſol ad radium, totus mundus ad unam creaturam. Adde, quòd quæ ab aliis creaturis derivatur gloria, etiam ab hac procedat, eiq́; toti imputetur tanquam primæ origini, & fonti, è quo omne bonum procedit. Deniq́; gignendo Filium Dei Unigenitum, qui eſt gloria Dei, ſummè glorificavit ignotam hactenus Trinitatem, ſiquidem dependenter ab ea innotuit creaturæ Pater mittens Filium, Filius aſſumens humanitatem, Spiritus Sanctus ſuperveniens, manifeſtæq́; factæ ſunt perfectiones Dei, ſcilicet Sapientia Dei, quæ in ea ita copulavit Iuſtitiæ Miſericordiam; ut & miſeriæ noſtræ ſubventum ſit, & ſatisfactum Iuſtitiæ: Omnipotentia, quæ in ea copulavit ima ſummis, Creatorem creaturæ, Deum homini: Bonitas, quæ, cùm perditi eſſe-

essemus, se nobis dans in pretium, invenit nos; verbo, apparuit in ea *magnum pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne.* 1. Tim: 3.

6to. B. V. est complementum Trinitatis, quia ipsa est finis operum Dei, ac Sabbatum, in quo completis omnibus, quievit ab omni opere suo: sicut enim quia hominem in opere sex dierum ultimum effecit, eumq́; talem, propter quem alia facta sunt, homo dicitur finis & complementum operantis Dei, sic quia in fine temporum Virginem fecit, propter quam alia omnia facta sunt, meritò finis operum Dei, & complementum Trinitatis est: item sicut cùm hominem faceret Omnipotentia Dei, ponendo in illo perfectiones omnium unà cum similitudine sua, velut in compendio, seu indice demonstravit completum esse opus suum, homoq́; ab hac compendiosa totius universi continentia microcosmus, & completum totius universi compendium dicitur, sic cùm faceret Virginem SSS. Trinitas, cujus opera ad extrà indivisa sunt, poneretq́; in ea perfectiones omnis creaturæ, unà cum similitudine sua, demonstravit completum esse opus suum, ipsaq́; Virgo dici potest microcosmus, & complementum Trinitatis ac omnis creaturæ: Qua in acceptione videtur dictum illud S. Thomæ de Villa-nova, cum ita de Virgine loquitur: conc: 3. de Nat: B. V.

B. V. *sicut in creatione mundi collecta est omnis creatura, ideo microcosmus, sic in reformatione mundi in Virgine collecta est omnis Ecclesia, & sanctorum perfectio, ideo microcosmus Ecclesiæ dici potest: quidquid enim in quolibet sancto fuit illustre, in ea fuit; in illa patientia Iob, mansuetudo Moysis, fides Abrahæ, castitas Ioseph, humilitas David, sapientia Salomonis, zelus Eliæ, in illa puritas Virginum, fortitudo Martyrum, devotio Confessorum, sapientia Doctorum, contemptus mundi anachoritarum, in illa demum sapientiæ, scientiæ & intellectûs donum, pietatis & fortitudinis, & omnia dona spiritûs, & omnis gratia gratis data.*

7mo. B. V. est complementum Trinitatis, quia sicut forma complet in naturalibus, sic quodammodo complet Deum in ordine supernaturali, ut non aliter creaturæ communicet bona sua, quàm ad voluntatem MARIÆ; quæ quidem ratio est, ut ei traditam potestatem super omnia dona gratiæ doceant ascetæ, dicentes cum Bernardo, serm: 1. in Salve quòd *ipsa Divinæ pietatis abyssũ, cui vult, quãdo vult, & quomodo vult, creditur aperire*, facta clavis thesauri Domini, & thesauraria gratiarum ejus. Ioan: 6. dicitur, quòd *nemo potest venire ad Filium, nisi Pater traxerit eum:* quòd

quòd B. V. applicat Dion: Carthusianus inquiens: *sic etiam quodammodo ausim dicere, quòd nemo venit ad Filium gloriosum, nisi tuis sanctis subsidiis traxeris eum.* ego autem addo, quòd nullum donum Trinitatis descendat ad hominem, nisi B. V. illud abstraxerit, ac quodammodo Deum compleverit ad dandum illud creaturæ.

8*vò*. B. V. est complementum Trinitatis, quia sola perfectè complet voluntatem ejus: nam alii, quantumvis maximi sancti sint, voluntatem Dei complere nequeunt, cùm & ipsi debeant de se dicere illud: *Nobis quoq; peccatoribus*: & iterum: *Peccatores, te rogamus audi nos*; perquàm enim verum est de iis illud: *si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est*. 1. Ioan: 1. B. V. autem sola complet voluntatem ejus, quia omnia, quæ placita sunt Deo, facit semper, sublato in ea non actu solùm & habitu, sed & fomite peccandi. Unde bene Bern: serm: 13. de cæna Domini. *Non est*, ait, *in filiis hominum, qui non in peccatis fuerit, præter Matrem immaculati, peccatum non facientis, sed peccata mundi tollentis*: hinc si propriè loqui velimus, dicere debebimus, quòd sola legem, sola voluntatem Trinitatis implevit.

DIS-

DISCURSUS 3tius,

Super illo dicto magni illius Servi Dei, Alphonsi Rodriquez ad B. V. *O Domina ego te impensiùs longè, me quàm ipsum amo! te ampliùs diligo Mater mea, quàm tu me diligas:* ad quod aspectabilis facta B. V. ei respondit. *Non ita est, ut sentis mi Alphonse, sed ego te impensiùs amo, quàm tu me diligas* refert id Bourghesius *in Soc: Deiparæ sacra cap:* 10. *& Bibliotheca Script: Soc: IESV.*

PRæclarum super hac ipsa re discursum memini me legere apud P. Barry in anno Mariano, quem equidem si ad manum haberem, fors hìc totum describerem; quòd quia ob libri defectum facere non licet, duntaxat ea, quorum memini adnoto, additis quæ addenda videntur. Igitur si dicatur *primo* in dicto Alphonsi pæne reperiri illud Poëtæ, quòd *Deus videat perjuria amantûm:* quomodo enim dicas te minùs amari ab ea, quàm tu illam amas, cùm amor tuus comparatus ad amorem ejus vix nomen amoris retineat, illius enim amor majoritatem ac excellentiam accipit à dignitate personæ, tuus autem decrescit ex vilitate

tua, quantumvis intensus sit; hinc amor ejus tantus est, quanta est dignitas ejus & excellentia, tuus autem tantillus est, quantulus ipse es: quo posito, si concludatur ejusmodi amorem neq; prudentem, neq; possibilem esse; tu causam Alphonsi suscipe, ac prudenter id dictum demonstra, etiamsi amor ipse talis foret impossibilis quoad effectum; nam prudenter amans sæpe tendit in impossibile, ut ait Aristoteles lib: 3. Ethic: cap: 2. dicens: *voluntatem esse impossibilium*; sic prudenter vult impossibilia amans Paulus, cùm optat anathema esse pro fratribus, sic prudenter amabat S. Theresia volens impossibile, id est ad extremum judicii diem inferni pænas pati, modò unam animam lucrifaceret; sic prudenter optabat S. Birgitta quod impossibile erat, inquiens: *Sic amo te MARIA, ut malim me Birgittam nunquam natam, imo damnatam, quàm ut MARIA Filia Ioachim non fuerit Mater Dei:* deniq; prudenter S. Augustinus vult impossibilia, dum ait: apud Ludov: Terelli de S. Aug: anno 430. num: 28. *Domine tantùm te amo, ut si ego essem Deus, & tu esses Augustinus, ego vellē desinere esse Deus, & dare tibi hoc esse, ac ipse fieri Augustinus.* Sed nec impossibilem esse ejusmodi amorem probabis inde, quia longè specialiora ei bona velle potes, quàm ipsa tibi; illi enim velle potes, quòd

sit

sit concepta immaculatè, quòd sit Mater Dei, Mater & Virgo, aliaq; sexcenta soli illi conferibilia dona: ipsa autem, quæ tibi vult, longè inferiora sunt, puta justitiam, castitatem, sapientiam &c: quo posito, inferes, quod si amare nihil aliud est, nisi bene velle, oportet majorem esse amorem Alphonsi, qui ea bona vult B. V. quæ majora longè sunt, & quæ vicissim ei velle non potest Virgo Beata.

Si dicatur *secundò*, amor B. V. est maternus, Alphonsi verò ut summùm filialis, jam verò amor maternus major est, quàm filialis, amor enim in descensu major est, quàm in ascensu: Responde, quod amor maternus in B. Virgine non potest, hoc efficaciter potest in Alphonso amor filialis, potest enim pro illa pati contumelias, mortem subire &c.

Si dicatur *tertiò* quantumcunq; amavit Alphonsus B. V. amavit se in illa, cùm enim majus bonum invenerit in illa, quàm in se, amavit illud bonum sibi, per consequens amavit se in illa, adeoq; non minùs se, quàm illam, quia in quo amavit illam, in hoc ut bono suo, amavit se, unde ad summum videtur dicere debuisse Alphonsus: amo me in te, plùs quàm me in me, quia plùs me invenio in te, quàm me in me, ferè sicut Bern: de amore Dei cap: 7. ait: *Amamus te, vel tu amas te in nobis, nos affectu, tu effectu.* Responde, si de amore con-

concupiſcentiæ ſermo ſit, id facile concefferis; nam principium hujus amoris eſt amor proprius, qui ab illo præſupponitur, ut numerus ſupponit unitatem, linea punctum: At verò ſi de puro amore benevolentiæ ſermo ſit, quid vetat amare plùs alium, quàm ſe?

Deniq; de amore æſtimativo certiſſimum videtur, quòd illam plùs amare poſſimus, quàm illa nos, nam æſtimativè amamus illam ſuper omnia bona creata, qualiter illa nos æſtimare non poteſt, cùm magis æſtimet S. Ioſephum, S. Annam, &c.

Si dicatur *quartò*, ſed B. V. erroris arguit Alphonſum: Reſponde, perquam verum eſſe, quòd amor B. V. conſtantior ſit, & efficacior, quòd collativus ſit eorum bonorum, quæ viciſſim ei dare nequit redamans creatura, quòd tenerior ſit, cum majore puritate, ac puriore intentione, cum majore intenſione, majore amati utilitate &c. Deniq; circa hoc certamen amoris verum eſt illud, quod recenſens illud Bourgheſius exclamat, quòd in eo & vinci & vincere ſit æquè optabile ac glorioſum.

Placet in his diſcurſibus diutiùs utilem operam ponere; qui quidem ut identidem tempori ſervire poſſint, apto illos ad ſolenniora feſta B V. ordiorq; ab ipſa Virginis Conceptione, quæ ſicut principium feſtorum ejus eſt, ſic ferè hoc tempore præcipuè in Polonia noſtra, inter feſta B. V. magis ſolennis eſt. Co-

CONCEPTIO B. V.

Pro materia discursuum accipio lectionem ea die in Missa legi solitam, quam per modum elogii servientis B. V. Conceptioni expono, familiarem discursum ex dicendis facilè erues locuturus de hoc mysterio.

DOminus *possedit me. Possessionem Dei spaciosissimam* vocat B. Virginem S. Ioseph Græcus, *in Mariali. hæreditatem Domini* Albertus Magnus; *in bibl: Mar: super lib: Eccli: habitationem Dei* Rupertus; lib: 1. Com: in Matth: ex quibus infer immaculatam Conceptionem B. V. debebat possessio Dei esse Virgo (Virgo vocatur omnis illa civitas, quæ nunquam hosti subjacuit) debebat hæreditas Dei ab onere Adæ eximi, debebat habitatio Dei esse munda à sorde, & carere talibus, quibus serviret illud: Inimici Dei domestici ejus. Continua fit, & certa necesse est, omneq; alienum excludat dominium, quæ positione pedum ab ipso Deo aditur possessio, puta per Incarnationem. Possessiones orbis vocare solemus bona, qui titulus possessioni Dei magis

convenit, utpote, quæ etiam à primævo malô liberata eſt; privilegium hoc bonorum Dei primùm eſt ſubſcriptum digito Dei, id eſt, Spiritu Sancto, ſignatum gemmâ annuli, id eſt Filio Dei, qui medius eſt Sanctiſſimæ Trinitatis, ut nunquam alienentur bona, quæ ſunt futura locus natalis ſummi boni, & in quibus Dominus Majeſtatis thronum ſuum poſiturus eſt in æternum. Titulo quidem debiti originalis alienandam poſſeſſionem non exiſtimes, priùs quàm contraheretur, illud ſolvit Dominus, obærari nolens fundum, in & ex quo pretium redemptionis noſtræ colligendum erat. Suam tamen facere tentabit titulo fictæ apprehenſionis homicida ab initio, ſed vix avarum pedem huc immittet, & in ipſa porta caput contritus, pro tot rapinis, pænas dabit. Nimirum *poſſeſſio Dei eſt Virgo* ſecundùm Ildephonſum lib: 5. de Virg: c. 2. *cujus Dominus eſt virtutum Deus*, ego addo, Dominus ſolus, unus, & perpetuus.

In initio viarum ſuarum. Univerſæ viæ Domini Miſericordia & Veritas, in his Deus poſſedit MARIAM: ne cum aliis erraret in via, fecit Miſericordia: ut ſola conformis eſſet creatori, fecit veritas: Aliis Miſericordia obviavit cùm in miſeria deficerent; MARIAM prævenit, antequam miſeriam nôſſet, ut ambigam, cui plùs donatum eſt, & quis plùs de-

beat? miseri cùm erigerentur, an MARIA, cùm sustineretur? nisi quòd major gratia sit præservare, ne corruas, quàm erigere, cùm corrueris. Retractationum libris addat Augustinus illud, Deum non fore misericordem, si non esset miseria, nam quia non est miseria in MARIA, misericordissimus Deus est: miserationes Dei super omnia opera, quæ fecit Virgini, quia, ne quis exprobrare aliquando posset illi: Et tu aliquando misera fuisti, providit. Verè hìc mirificavit Dominus misericordiam suam, cùm illa misericordiâ prævenitur, quæ facta Mater misericordiæ paritura erat Patrem misericordiarum, ut dicere possit: misericordia Domini, quia non sum consumpta, priùs quàm concepta, tunc cùm uno in pomo omnes voraret Mater Eva. Sed & in via Veritatis Deus possedit MARIAM; aliàs hìc non tutum iter est, veritas enim odium parit, quod etiam præcursorem capite minuit, nunc etiam infans extra periculum est, quia cùm paritur Matre gratiâ (Anna gratia est) mendacem ab initio, & latronem universalem capite minuit. Lubrica aliàs hìc via est, ipsaq; adeo veritas non rarò corruit in plateis, modò infans nondum unius diei super aspidem & basiliscum currit pede inoffenso, cursuq; pæne priùs consummato, quàm cæpto, accipit bravium. Poterat & præses inferni hactenus quærere: Quid est veritas

tas? omnes enim mendaces erant, ideoq; dati sunt in devorationem; nunc infans sine peccato gryphos solvit, & sphyngem sternit. Meritò ergo de se usurpet illud ps: 53. *Misit Deus misericordiam suam, & veritatem suam, & eripuit animam meam de medio catulorum leonum.*

Antequam quidquam faceret à principio. Principium, & princeps omnis creaturæ MARIA, ut esset consummatior, à principio fieri debuit: magisterium artis suæ ostensurus in opere hoc Deus, ita perfectum fecit; ut ne sutor in crepida, id est, qui cæteris malum fuit, in calcaneo defectum repererit. Angelos aliqui primo instanti peccare potuisse negant, ne error tribueretur Deo; peccâsse principium hoc operum Dei ferè non citiùs crediderо, quàm Deum errare posse existimem: collecta est ab initio omnis pulchritudo, juxta quam & species Angeli, & innocentia primi hominis derivaretur; quæq; Deo serviret pro idea formandorum, sicut olim collectæ totâ Græciâ Virgines pro idea formandæ Helenæ serviêrunt Zeuxi: eximium certè hoc primum opus Dei est, quod quia etiam in sua creatione habuit gratiam, factum est immortale; Deam credidisset Dionysius Areopagita semel visam, nisi fides eum aliud docuisset, ego ipsam perfectionem Dei putarem, nisi & hoc principi-

um operum Dei (quod digito Dei inſcribi meruit) præferret in fronte illud. Ipſe fecit nos, & non ipſi nos.

Ab æterno ordinata ſum. Antiquum hoſtem ſtratura, ab æterno ordinari debuit caſtrorum acies ordinata; doctus vincere, ubi nullus ordo, vinci non potuit ſine tali ordine. Ordinavit in ea charitatem Deus ferè priùs, quàm natura corpus; ferè enim priùs vixit vitâ gratiæ, quàm naturæ, adeoq́; ferè priùs vicit, quàm vixit, imò quàm venit & vidit. Adverterat ordo hoſtem, quare ad eum confuſus in conſiliis, quid agat, ignorat. Eminus adoriatur jacto pro globis Evæ pomo? non ſubjacet malo MARIA: comminus arietet? frangetur citiùs, quàm frangat eam, cujus robur gratia, fortitudo eſt Agnus: Cuniculis ergo agendum ratus calcaneo inſidiatur capitalis, ſed in his contritus, caput perdidit. Sic nimirum decuit, ut in caput ejus reciderent mala, quæ jecit in filios Adæ; ut confunderetur, per quem omnes erubuimus, in capite. Ipſa verò acies ordinata, quæ fecit confuſionem hanc in domo Nabuchodonoſor, non in peram, ſed ſub pedem ancillæ Domini in trophæum victoriæ caput abjiciat, & ampliùs, ſtratâ morte, ſit immortalis.

Ex antiquis antequam terra fieret. Terram ante terram fuiſſe is ambigat, qui ſola naturæ novit elementa: ſupra terram, & ante

te terram terra eſt, nihil habens terrei MARIA, præterquam quòd primum hominem, id eſt, hominem Deum germinat. Ubi ejus ſi quæris? extra terram eſt, in virtualibus immenſitatis, ut loquuntur Philoſophi, vel rectiùs ſanctitatis Divinæ partibus, ibi centrum locavit ſuum, ubi non poterit timere ruinam: gravitare hoc in centro ſuo non poteſt, nam nihil tale novit, quod ſicut onus grave gravatum eſt ſuper nos, nec ſpinas ſcit, & tribulos benedicti fructûs mater futura. Cauſare terræ motum volet erebus, ſed procul à periculo trepidationis eſt, cum tribus digitis, hoc eſt, tota Trinitate ſuſtineatur. Veniat cum totâ ſtyge Archimedes quiſpiam jactans ſe, ſi extra terram poneretur uno pede terram moturum, non pedem, ſed caput franget, ſi hoc facere attentaverit, quia enim terra centro affixa eſt, cujus circumferentia nuſquam eſt, in æternum ſtat. Aliter qui ſentit, næ ille vertiginem patitur, aut malo ebrius eſt.

Nondum erant abyſſi, & ego jam concepta eram. Etiam inter MARIAM, & peccatorem magnum chaos eſt; Filiam Dei diſcernit à filiis diffidentiæ abyſſus peccati: aliorum generatio corruptio eſt, quia ibi eſt, ubi abyſſus miſeriæ invocat abyſſum miſericordiæ; MARIÆ conceptio integritas eſt, quia ibi eſt, ubi non poteſt urgere ſuper eam puteus os ſuum.

Et certè, si abyssus privatio est, aut vacuum, in MARIA locum habere non potuit, quæ in Conceptione sua processit formosa tanquam Jerusalem, & ita plena erat, ut jam tunc de plenitudine ejus accipere potuissent universi: Quanquam meritò etiam eam dicere possum abyssum, cùm in eam melior Curtius filius Dei se injiciet, ut pestem populi extingvat.

Necdum fontes aquarum eruperant. Ne ab aquis, quæ intrant usq; ad animam, periclitari MARIÆ reris originem, priusquam aqua fieret ipsa est: quorum ortus interitus est, eorum in instabili elemento fortuna vehitur, mergitur innocentia; cujus conceptio culpam nescit, superior aquis est. Draco equidem mulierem absorpturus, qui tanquam aquam iniquitatem bibit, aderit: sed se in sicco tunc primùm hæsisse deprehendet, cùm pro tot haustibus, pelle, imò capite solvet: aperiat licèt totum erebum, eos duntaxat sorbebit, qui ut canis Nilum, originem respiciunt Adæ: quæ peccatis superior est, communi naturæ voragine sorberi non poterit, sicut nec in diluvio universali periclitari, cujus fundamenta sunt in montibus sanctis.

Hæc intimâsse sufficiat, amator Marianus plura & nobiliora ex hoc aliisq; scripturæ locis eruet.

Sic nuper per omnes cælos & signa zodia-

ei laudavi immaculatè conceptam Virginem ſtando in illo textu Scripturæ: 2. Macch: 15. *Omnes igitur cæli benedixerunt Dominum dicentes: Benedictus, qui locum ſuum incontaminatum reliquit.*

Pro hoc feſto præclarum diſcurſum poteris inſtituere, ſi uſus fueris judicio Danielis pro Suſanna falſò accuſata; quæſiĕrisq́; ſub qua arbore viſa ſit peccare MARIA: nec enim ſub infelici illo ligno peccavit, nam, ut dicitur Cant: 8. *ſub arbore malo ſuſcitavit eam* Dominus, *ubi corrupta eſt mater ejus, ubi corrupta eſt genitrix ejus:* non ſub ſcyno vel cyno, quæ juxta Corn: à Lapide hìc ſpecies lauri eſt, quia nullum fulgur à peccato timet, quia ſerpentes fugat &c.

Poteris inſtituere quæſtionem, an magìs laudetur Virgo, dum dicitur immaculatè concepta, quàm dum aliæ ejus prærogativæ & excellentiæ laudantur? vel, an magìs placeat, mereaturq́; plùs laudator immaculatæ Conceptionis, quàm prædicator aliarum gratiarum illius? Ipſi quidem Beatæ Virgini ſi data fuiſſet electio, aut carendi gratiis aliquibus, aut incurrendi originale, credo optimam partem elegiſſet, potiùsq́; voluiſſet, nec ad momentum eſſe inimica Deo, quàm gratiis etiam maximis cumulari: imò ut bene Mayronus: in 3. diſt: 3. q. 2. *B. V. in puris naturalibus conſtituta*

tuta priùs pœnam æternam elegisset, quàm peccatum originale, magis enim quis fugere debet odium Dei, quàm pœnam æternam: & si Christus Matrem suam permisisset incurrere peccatum originale, pejus sibi fecisset, quam si eam perpetuò pœna sensûs punivisset.

Applicabis item facilè gratiis & prærogativis MARIÆ, quæ habet Salazar de festis ejus, lib: de im: Conc: B. V. cap: 34. dum ait: si sancta non est conceptio Virginis, & immaculata, derogatur sanctitati propè omnium festorum ejus; nam primò Nativitati ejus derogatur, non enim tam nata, quàm renata dici debet, & dici poterit, quòd, quæ hac die fit filia Dei adoptiva, olim fuerit filia diaboli, & genimen infernalium viperarum. Derogatur festo Præsentationis, quo se ipsam dedicavit Deo, quia dici de ea poterit: & hæc olim domus fuit dedicata diabolo, & spelunca latronis inferni. Derogatur festo Annunciationis, quo in Matrem Dei eligitur, quia de ea dici poterit: & hæc ancilla Dei & Mater, fuit olim mancipium diaboli. Derogatur festo Purificationis, quòd ea, in qua nullæ sordes locum habuêre, purificari voluerit, nam de ea dici poterit; sed olim purificanda fuit à crassioribus sordibus; deterior quippe est labes peccati originalis, quàm labes puerperæ. Derogatur festo Visitationis,

quo

quo benedicta inter mulieres dicitur; cùm de ea dici posset; quòd olim maledicta fuisset, sicut & cæteri: neq; valde gloriosum erit, quòd ipsa ad Ioannem sanctificandum accurrerit, cùm ad eam ipsam peccati labe vitiandam culpa præcucurrerit. Deniq; derogatur ipsi festo Assumptionis & Coronationis, quia etiam de ea olim dici poterit, quia in eam olim princeps hujus mundi regnum obtinuit, & quia olim sub tyrannide culpæ gemuit.

Poteris item factum incolarum Mileti assumere, qui videntes quòd invadens Paulum vipera ei nihil nocuerit, adorare volebant: *Act:* 28. quæresq; quæ sit maxima & optima laus MARIÆ in hac conceptione, prolatisq; ingentibus facinoribus, quibus à variis dies hæc sanctificata est, concludes illum immaculatè conceptam Virginem optimè laudare; qui minùs in Conceptione habet maculæ. Deniq; feracissima conceptuum conceptio Mariana est, cùm Deus ipse, quos tota æternitate parturîerat, hodie in libro generationis conceptus imprimit: accede sis, & lege librum, qui si signatus est, amor reserabit.

NATIVITAS B. V.

S. Anselmus lib: de excell: B. V. cap: 2. de illa loquens, ait: *Conjicio apud me, Nativitatem*

vitatem Deiparæ magna quædam, atq; mi-randa Divinorum signorum indicia præcur-risse. Augurare quæ fuerint hæc signa? Elisæo nato bos aurea mugiit in Selom, ut audiretur Jerosolymis, teste S. Epiphanio: *lib: de vit: Prophet:* MARIA natâ, probabile est totum infernum immugiisse. Cùm nasci debebat Minerva, fabulantur Poëtæ, in Rhodo auream cecidisse pluviam: cùm nasci deberet MARIA, aurearum gratiarum imber cecidit in Annæ domum, è qua surgere debebat benedictus fructus. Mater Virgilii se laureum ramum enixam somniat: Mater MARIÆ quidni arborem genuerit, cujus rami ad fines terræ. In os Midæ nati, triticum intulerunt formicæ, teste Tullio, 1. *de Divinat:* in os MARIÆ, quæ frumentum electorum progerminatura erat, quidni Deus ipse se infuderit: &c. quæ facilè huc applicabis; Singulare omen natæ Virginis accipe ex Iosepho, *lib: 7. de bello Iudaico c. 24.* hic enim testatur Sabbaticum illum fluvium, qui olim (ut etiam habet Plin: lib: 31. c. 2.) omnibus, & singulis Sabbatis siccabatur, circa tempora Nativitatis B. V. largis rivis exundâsse; nobile certè omen erupisse fontem illum, cujus impetus lætificaturus sit civitatem Dei. Pelbarti sunt, quæ sequuntur: *MARIÆ nativitas fuit portentis & signis clarificata, quoniam secundùm Theophilum historiographum*

phum, ipso die, quo nata est MARIA, plùs solito sol refulsit in duplo, & illa nocte Luna clarior coruscavit, adeo quòd plene solari splendore radiâret, & illa nubecula, quæ Lunam offuscat, per tempus à die Nativitatis MARIÆ non comparuit, sed circa globum lunarem medium, quasi una stella magna claritate apparuit. Hæc Theophilus, inquit Pelbartus de Themeswar lib: 5. p. 2. a. 2.

2do nomine præcedentium signorum accipe figuras in veteri lege de Virgine factas, quæ in signati cognitionem ducebant: *signata est*, ait Richardus à S. Laur: serm: de laud: B. V. lib: 12. *in operibus antiquorum, in factis Patriarcharum, in oraculis Prophetarum, ut in arca Noë, in virga Aaron, in rubo Moysis, in arca testamenti, in throno Salomonis*, aliisq; sexcentis, quæ quidem omnia si componantur cum Virgine, egena sunt & inutilia elementa, ac velut umbra, & fumus respectu adumbratæ, & figuratæ Majestatis Virgineæ.

3tio nomine præcedentium signorum accipe miracula, quæ circa eam facta sunt, prætorquam enim, quòd ut vult Epiphanius, precibus parentum impetrata fuerit filia precum Annæ & Ioachim, nascitur ex sterili, *ut ad Incarnationis* verba sunt S. Damasceni, orat: 1. de Nat:

Nat: Virg: *summum miraculum per aliud sterilitatis miraculum fieret gradus*: nascitur sine sorde originalis noxæ, non tam ex naturæ rationibus, quàm ex verbo virtutis Dei. Addit S. Vincentius, quod *eadem hora & die, quâ concepta fuit, sanctificata fuit super omnes sanctos, & sanctas, & etiam Angelos*: addunt alii cum Suario 3. p. disp: 18. sect: 2. & disp: 4. sect: 7. fuisse in ea *plenum usum rationis, nullo deinceps tempore sive somno, sive alio quovis negotio interruptum*, ex quo factum est, ut tantum sibi meritorum thesaurum collegerit, quantum sanctorum nullus: imò, ut vult Scherlogus noster, tom: 1. anteloq: 8. sect: 1. *ut plus meruerit sugendo Annæ ubera, quâm Martyres rivos sanguinis fundendo*. Et hæc non sint miracula? Deniq; alii docent, quod in instanti Conceptionis suæ habuerit visionem beatificam, cum Salazar, Francisco Mendoza & Scherlogo *in Cant: vest*: 34. *s*. 2. Et iterum miraculum non sit? verè ipsa *miraculum grande facta est ob tot & tanta supernaturalia, mirabilia, incomprehensibilia, & Divina in ea facta*, ait Dionysius Carthus: lib: 1. de laud: Virg: art: 29. *& quia ipsa super omnem naturam, cursum, legem, & ordinem entium naturalem fuit eminenter sublimata.*

4*to*. Nomine signorum præcedentium accipe

cipe eam inclinationem, quam olim ad puniendum habuit Deus, ultionum Dominus; videbatur quippe etiam Sol Iustitiæ habitationem suam posuisse inter bestias suo in zodiaco, nam quod Daniel ait, Dan: 8. *ut aries cornibus ventilabat contra Occidentem, & contra Aquilonem, & contra Meridiem, & omnes bestiæ non poterant resistere ei*: ut taurus, & leo ferociebat: cùm autem apparuit signum Virginis, clementior visus est, signaq; pietatis & charitatis inhabitare videtur, suum inventurus in iis Solstitium, quo totus beneficus nobis appropinquet.

5*tó*. Nomine signorum accipe illa signacula, de quibus Aggæi 2. *Ponam te quasi signaculum, quia te elegi*; illa signacula similitudinis Dei, in quibus imago invisibilis Dei expressa est, de quibus bene dicitur illud D. Athan: lib: de pass: *Non variat impressa imago ab imprimente signaculo, sed incommutabilis perseverat juxta sculpturam annuli* seu Deitatis; & illud Franconis Abbatis: lib: 6. de grat: *Signaculum Dei sapientiâ dignum, sub quo signatum est mysterium à sæculis absconditum*: Et quamvis etiam super alios signatum sit lumen vultûs Divini, singulariter tamen hoc factum est in Virgine, nam juxta S. Mechtildem lib: 1. grat: spirit. c. 45. ipsa est *imago, in qua totius potentiæ, Sapi-*

entiæ

entiæ & bonitatis SSS. Trinitatis artificium elegantissimè apparet, ideoq; antonomasticè dici potest imago bonitatis Divinæ, imago Dei, cùm cæteri homines tantùm facti dicantur ad imaginem Dei.

6tó. Præcesserunt signa, quia cùm divitias ejus surripere moliretur fur originalis, & universalis, sigilla sua appressit Deus, quæ nemo aperiet, nisi VERBUM Patris, & sic succubuit, cùm prædari vellet, fortis armatus; præcesserunt signa, quæ Dominus levavit in Sion, ut sub iis infans Virgo vinceret, inveteratus malorum vinceretur; præcesserunt signa, ros in vellere, innocentia & gratia in MARIA. Deniq; factum est cum ea signum in bonum, ut videant qui oderunt eam, & confundantur, quoniam tu Domine adjuvisti eam & consolatus es eam.

Secundo discursui materiam dabunt illa verba S. Ioannis Damasceni, dicta de festo hodierno orat: 1. de Nat: Virg: *Hodie salus mundi inchoavit*, quæ priùs quàm dilucides, ocurret, quod habet Genebrardus de Maria sorore Moysis, *lib:* 1. *Chronol.* affirmare nempe Hebræos Doctores exinde populum Dei ab Ægyptiis affligi cæptum, ex quo Maria soror Moysi nata fuit: cujus contrarium evenit natâ Deiparâ, nam ex quo nata est, populus Dei respirare cæpit, siquidem hodie salus mundi inchoavit

choavit, nam ei, qui propè jam fame contabuerat, levamen factum hac apparente, quæ paritura est Regem de area & torculari salvaturum famelicos, id est, corpore & sangvine refecturum. Inchoavit salus ei, qui magnus per totum mundum jacebat ægrotus, nam orta est ea, de qua S. Anselmus Lucensis super Salve Regina: quòd sit *medica miserorum consolidans vulneratos, ad salutem perducens ægrotos*, cui veriùs serviet illud Hipocratis: Quàcunq; ingredior, ad habitantium salutem ingredior. Inchoavit salus sedentibus in tenebris; adest enim mulier, quæ accendat lucernam, imò quæ ipsa lucerna est, ut drachma inveniatur, id est, filius perditionis, ad cor redeat. Inchoavit salus, quia primò apparuit salvatrix, si enim Paulus dicere poterat de Iudæis, ut salvos faciam aliquos ex eis, quantò magis potentissimæ Matri Christi adscribitur, quòd sit salvatrix; quibus indesinenter auxiliatur, pro quorum solicitatur salute, quorum est fidelissima advocata, affectuosissima Mater, reconciliatrix piissima, adjutrix & protectrix assidua, ut loquitur Dion: Carthus: *lib:* 2. *de laud: SS. Virg: art:* 23.

Nomine salutis ortæ accipe felicitatem, qualiter accipi solet, cùm alter alteri salutem optat, ipsa siquidem est felicitas generis nostri, quia per eam respirare cæpit miseria nostra, ipsa est beatitudo nostra non activè tantùm, pro-

promovendo

movendo nos ad illam, ſed quadamtenus etiam paſſivè, quia ex viſione ejus, ſingularis quæpiam voluptas accedet, ſicut enim hæc fuit beata fidei noſtræ, beata animæ noſtræ, beata dilectioni noſtræ, beata præconiis & prædicationibus noſtris, ita erit & beata gloriæ noſtræ, beata beatitudini noſtræ: quam quidem beatitudinem dum mortali adhuc oculo vidiſſet Dionyſius Areopagita, ep: ad S. Paulum non dubitavit dicere, *ſe hoc felicitatis inſigne ſuſtinere non potuiſſe, quoniam nulla videri poſſet major gloria beatorum, quàm felicitas illa, quam ego infelix nunc, tunc verò feliciſſimus deguſtavi.* Quo reſpicere videtur S. Bonaventura, in pſalt: ps: 45. dum omnes convocat ad beatitudinem hanc, inquiens: *Audite hæc omnes gentes, auribus percipite, qui ingredi cupitis regnum Dei, Virginem MARIAM honorate, & invenietis vitam & ſalutem perpetuam: inventâ* enim *MARIA*, ait Idiota, in prologo contempl: B. V. *invenitur omne bonum.*

Nomine etiam Salutis ortæ accipere potes ipſum Salvatorem, ſicut enim oriri diem dicimus, cùm aurora ſurgit, ſicut Dominum venire, cùm aula ejus venit, ita cùm MARIA naſcitur, propè eſt, cui dicit pſalmiſta ps: 26. *Dominus illuminatio mea, & ſalus mea:* quemque cum Patriarchis expectabat Iacob, inquiens

ens: salutare tuum expectabo Domine, ut meritò gaudere possit magni hujus mundi incola, quia hodie huic domui salus facta est.

Tertio discursui materiam dabit Liber generationis JESU Christi, autore Deo, typis Spiritûs Sancti sumptibus sangvineis JESU Christi, in lucem datus: Censor Libri, Magister Sacri Palatii, id est, Spiritus Sanctus est, qui cùm omnia in eo, Deo & luce, Deus enim lux est, dignissima reperisset, digito Dei approbans, subscripsit. Dedicatio libri facta est peccatori mihi, meiq; similibus, quod etiam speciale habet liber iste, nam alii dedicantur iis, qui libros non pudefaciant, hic contrà dedicatur iis, qui ex abjectis abjectissimi sunt. Porro liber hic generationis JESU, MARIA est, *in ea enim*, loquor cum Petro Cellense, serm. 5 in annunc: *scriptum est VERBUM intus & foris, foris humilitate, intus castitate, intus & foris, salvo Virginitatis signaculo, fæcunditate, quia Deum genuit, & hominem*: Libri materia est Sapientia Dei abscondita à sæculis: totum enim in ea legere potes Deum; habet in eo foris idiota quod legat, habet intus Theologus, quod intelligat, scripsit in eo Deus (mutuo hìc verba S. Laur: Iustin: *lib: de humil: cap*: 27. de libro crucifixi discurrentis) scripsit, inquam, in eo Deus charitatis compendium, perfectionis celsitudinem,

vir-

virtutum normam, & totius humanæ redemptionis modum. Quadrifariam Liber iste divisus est, nam juxta S. Antoninum in sum: p. 4. tit: 15. c 5. *B. V. Liber est, qui habet in se quadruplicem generationem, scilicet naturalem, spiritualem, adoptivam & generalem*: in qua quadruplici generatione explananda utiliter moraberis, ostendens Christum ab ea genitum viâ naturæ, gigni toties, quoties ope ejus peccatores à viis suis pessimis convertuntur, gigni per adoptionem specialem eorum, qui vivunt vitam Filii Dei: ac deniq; generaliter, quia omnis, qui fit Filius Dei, partus est gratiæ per manus MARIÆ datæ.

Posses pro hoc festo in materiam discursûs accipere illam sententiam Ptolomæi centiloq: prop: 9. asserentis, quòd *formæ in generatione sua afficiantur á cælestibus formis*: ostendereq; formam Deiparæ in generatione sua affectam esse à formis cælestibus; Pater enim ei contulit fæcunditatem, ad generandum Filium sine viro, Omnipotentiam, ad facienda opera supra naturam; misericordiam, ad salutem miserorum: Filius ei dedit impeccabilitatem, sapientiam, humilitatem operativam: Spiritus S. amorem excessivum, bonitatem sui diffusivam, sanctitatem perfectissimam. Tota deniq; Trinitas eam pulchritudinem, quæ deceret tam absolutum opus Dei.

Posse

Posses, exemplo Astrologorum, ad exortum benefici sideris judicantium de felicitate, ominari de secuturis ejus sanctissimæ vitæ facinoribus, heroicisq; actibus, ac de merito illorum, scilicet de gratia & gloria.

Posses nobilem instituere quæstionem, quænam cognitio Virginis amanti illam magìs placere debeat, hæc matutina (mutuo à Theologis vocem alio in sensu usurpari solitam) an vespertina, in Assumptione, aliaq; plura, quæ brevitatis causâ omitto.

Festum Sanctissimi Nominis MARIA.

DISCURSUS 1mus,

Dic quibus in terris inscripti nomine regũ
Nascuntur flores?

quærebat olim Maro: cui si respondere, velis, adi terram Virginem, in qua invenies

nomen cum violis rosisq; natum,
nomen nectare dulcius beato,
nomen nobile, molle, delicatum,

hoc cuncta loquitur tellus, hoc variis scribunt in floribus herbæ. Porrò SS. Nomen MARIA floribus non raró inscriptum lego; testatur quippe Angelus Gianius *in annal:*

Ord: Servit: ex B. Francisci Senensis ore lilium excrevisse, in cujus singulis foliis auro scriptum erat Ave MARIA: testatur idem de B. Gvilielmo Cisterciensi olim montis Pessulani Dynasta Menol: Cisterciense: ac de S. Salauno Simplice mendico Raderus, *in viridi: sanct: part:* 2. *c.* 5. tria verò lilia cum nominibus IESU & MARIÆ ex ore B. Iacobi Barbuti prodiisse testis est ejus vita: item ex ore pueruli, quem cùm parentes ad loquelam formarent, dulciter balbutire docuerunt sui nominis loco nomina IESU & MARIÆ, retuleruntq; præmii loco ipsi magis, an filiolus ignoro, ùt ex defuncti (raptus enim est, quia placita erat anima illius Deo) filioli ore lilium germinaret inscriptum nominibus IESU & MARIA, quòd testatur P. Martinus Roas noster, lib: de purgat: Huic ergo tali lilio adde accommodum lemma: v g. *Conveniunt rebus:* aut, *florida nunquam marcescunt nomina:* vel, *flore omni flos melior iste:* tum descendens ad laudes Virginis, dic de ea, quod ait S. Pet: Damiani, serm: 3. de Nat: quòd B. V. *de spinosa progenie Iudæorum nata candescebat munditiâ Virgineæ castitatis in corpore, flammescebat ardore geminæ charitatis in mente, flagrabat passim odore boni operis, tendebat ad sublimia intensione continua cordis:* aut ut in exaltando nomine B. V.

ma-

maneas, demonstra, quomodo cum eo gloriosior sit Virgo, quàm Salomon in omni gloria sua.

2do. Inscribe nomen SS. rosæ, de quo veriùs dicatur illud, quòd sit nomen cum violis rosisq; natum, Hyblam quod sapit, Atticosq; flores, quodq; pariter non rarò huic flori inscriptum est, ut habes suprà de Iosëio aut Iosberto, addeq; lemma v. g. *Tu mihi flosq; decusq;*, vel, *flos pulchrior intrâ*, vel, *es re, quod nomine præfers*, vel, *inter omnes una nobilis*. Scilicet *rosa est* B. V. ut loquitur S. Thom: de Villa-nova conc: 2. de Assumpt: *vernans de hujus seculi spinoso & arenti deserto lecti, cui in toto Dei cælesti viridario similis non est alia*. Et Adam de S. Victore: serm: de assumpt: *flos de spinis spinâ carens, flos spineti gloria*; quod ipsum jam olim cecinerat Sedulius lib: 2.

Et veluti spinis mollis rosa surgit acutis,
Nil quod lædat habens, matremq; obscurat honore
Sic Evæ de stirpe rosa aurea.

3tio. Inscribe nomen SS. flori, qui dicitur Corona Imperialis, addito lemmate: *Impera tu nobis*, vel, *magnum Reginæ nomen obumbrat*, vel, *optimus regnorum ornatus*. Porro coronis insculpendi nomen magnorum antiquus mos est, sic quippe nomen Tetragrammaton Dei in corona sua sculptum circumferebat summus sacerdos, ut habetur Sap: 18.

Magnificentia tua in diademate capitis ejus sculpta erat. Corona igitur coronarum omnium MARIA est, quâ omnis potestas in cælo & in terra coronatur, imò corona est, ait S. Birgitta in sermone Angelico, *corona est honoris Dei, per quam Deo summus honor præ omnibus creaturis provenit,* illi inquam Deo, qui ipse corona est, cujus centrum ubiq; circumferentia nusquam.

4to. Inscribe SS. nomen aliis floribus, v. g. heliotropio cum lem: *Novi te ex nomine,* seu, *dirigit ad solem:* Violæ, cum lem: *in humili odoratius:* Narcisso cum lem: *suam non capit pulchritudinem,* &c. Verbo, flos hujus nominis super omnia aromata, cujus si svavitatem experiri liceret, faceres & tu, quod non raro faciebat S. Hermannus, qui audito SS. MARIÆ nomine, se in terram abjicere solebat, ut refert Surius in vita 7. April: quæsitusq; causam, respondebat. *Quoties ad nomen Sanctæ Virginis humi me abjicio, odor omnium florum, atq; aromatum tantâ svavitatis copiâ in nares meos influit, ut semper ibi hærere vellem, si possem.* Deniq; gloria fæni nostri nomen hoc sanctum est, ut Bern: serm: de aquæductu loquitur: *Cælum* inquiens *MARIÆ amplectitur præsentiam, terra memoriam veneratur: cæli ornamentum ipsa est, luti nostri gloria remanet nomen ejus.*

DISCURSUS 2dus.

S. Petrus Damiani deſcribens conſilium ſuper redemptione noſtra factum inter Deum, & Angelos; inter cætera ait: *ſerm: de annunc: Statim de theſauro Divinitatis MARIÆ nomen evolvitur, & per ipſam, & in ipſa, & de ipſa, & cum ipſa totum hoc faciendum decernitur, ut ſicut ſine illo nihil factum eſt, ita ſine illa nihil refectum ſit.* Hic locus materiam dabit diſcurſui, ac primò quidem ipſam SS. Virginem in theſauro Dei eſſe, imò theſaurum Dei eſſe facilè probaveris, adſtipulante tibi Origene, explicante illa verba *Matth:* 1. Noli timere accipere MARIAM conjugem tuam; dicenteq́; *accipe illam, ut cæleſtem theſaurum, ut Divinitatis divitias*: Et Iacobo de Voragine in Mariali ſerm: 5. dicente: *In ea Pater poſuit theſaurum ſuæ potentiæ, Filius theſaurum ſuæ ſapientiæ, Spiritus Sanctus theſaurum ſuæ miſericordiæ.* Planè theſaurus Divinitatis MARIA, in quo Dominus repoſuit omnia dona gratiarum, meritorum & virtutum: *de quo bonus homo,* ut loquitur Albertus Magnus, in bibliot: Mar: ſuper Evang: Matth: *id eſt Chriſtus Deus & homo profert bona miſericordiæ, gratiæ & gloriæ,* in quo confidit cor Dei, ſicut aliàs in divitiis ſuis confidunt

viri divitiarum, ut dicitur *Baruch* 3. imò in quo ipsum cor Dei est, secundùm illud: ubi est thesaurus tuus, ibi & cor tuum erit.

Secundò ipsum etiam nomen SS. MARIA thesaurus Divinitatis est, cui bene serviat illud prov: 22. *Melius est nomen bonum, quàm divitiæ multæ:* Certè cùm Abram è Divino & ineffabili nomine literam nomini suo apponi meruisset, dictusq; fuisset Abraham, in una litera nominis Dei maximum accepit thesaurum, siquidem ex eo tempore venerunt ei omnia bona pariter cum illa; factusq; est Pater multitudinis credentium, de cujus semine nasceretur Filius Dei: Idem planè cum pretiosissimi nominis collatione factum est, cum eo quippe effudit Deus dona magnificentiæ suæ in Virginem ita copiosa; ut quæ divisa per omnes, in ista collecta conspicerentur. Hinc majora longè quàm Abrahæ, facta sunt MARIÆ, ipsa quippe sola meruit portare talentum mundi, ipsa Mater facta Dei, videturq; non literam unam cum Abraham, sed totum Dei VERBUM exaltando nomini suo accepisse. Morare ad hunc thesaurum, & aurum auro addens, etsi majus tuum non esset, quàm duo minuta viduæ illius Evangelicæ, commenda sacratissimum juxtà ac pretiosissimum nomen, seu thesaurum hunc 1mò: ab inventore. *Dedit tibi,* ait Idiota, *tota Trinitas nomen*

men, quod est super omne nomen, ut nomine tuo audito, omne genu flectatur, cælestium, terrestrium, & infernorum: aptissimum verè MARIÆ nomen, quod os Domini nominavit, si enim convenientia erant ea, quæ protoparens noster imposuit, ut dicitur Gen: 2. *Omne quod vocavit Adam, ipsum est nomen ejus:* quantò magìs conveniens erit, quod ipse Deus imposuit: Bene Bonaventura, in spec: c. 3. *Hoc nomen,* ait, *est sanctissimum, nomen dulcissimum, nomen dignissimum, tam sanctissimæ, tam Divinissimæ, tam dulcissimæ Virgini convenientissimè est impositum.*

2do. Ab antiquitate, ante solem quippe permanet nomen ejus, & ab antiquis ordinata, & ex antiquis, antequam quidquam fieret, à principio vocata est nomine suo.

3tio. A novitate, hoc enim est illud nomen, de quo Isai: 62. *Vocabitur tibi nomen novum, quod os Domini nominavit,* quæ quidem novitas tanta est; ut asserat Franco Abbas, de gratia novi testam: tract: 7. *admirandum hoc esse in nomine Mariano, quòd etsi millies repetatur, semper novum videatur, ut si semper repetatur, æternùm tibi placeat.*

4to. A pretio, unde passim jam hoc nomen vocabulo pretiosissimi nominis venit.

5to. Ab utilitate, quam attigisse videtur

S.

S. Bernardus, qui referente Rutilio Benzonio in Magnificat c. 22. dubit: 5. sacratissimum nomen confert cum quinq; vulneribus Christi; *sicut*, ait, *Christus quinq; vulneribus suis contulit plene remedia mundo, sic MARIA suo sanctissimo nomine, quod quinq; constat literis confert quotidie peccatoribus veniam in hoc mundo.* Vide sis Bern: *hom:* 2. *super missus* enucleantem dulcissimi nominis hujus utilitatem multiplicem. Certè S. Anselmus lib: 4. de excellent: Virg: c. 6. cùm dixisset: *Nihil utilius post Deum memoriâ Matris ejus*, post pauca audet dicere: *Velocior est nonnunquam salus memorato nomine ejus, quàm invocato nomine Domini IESV Filii ejus*: cujus quidem præfidentis dicti rationem videtur attingere Seraphinus Firmius, problem: 54. dum inquit: *Quia à Filio in Virginem derivatur Divina pietas absq; ullo Iustitiæ terrore; at in Filio licèt attrahat pietas, terret tamen quod scriptum est judicem eum esse adeo severum, ut rationem exacturus sit de unico verbo otioso: Quid autem mirum, si magis præfidat reus in sola pietate, quàm in ea Iustitiæ conjuncta, quando eadem est Divina pietas in utroq; & Filii, & ejus Matris tribunali.*

6to. Ab indeficientia: infinitus est enim thesaurus hominibus, quo qui usi sunt, partici-

pes facti sunt amicitiæ Dei. Deniq; *beatus vir*, loquor cum Bonavent: *qui diligit nomen tuum MARIA Virgo, gratia tua animam illius confortabit, tanquam aquarum fontibus irrigatam, uberem in eo fructum Iustitiæ propagabis.*

DISCURSUS 3tius.

IN Polonia usu antiquo receptum est, ut nulla fæmina vocetur MARIA, quod testatur Lorinus, *in ps: 99. v. 3.* & Miechoviensis: *tom:* 1. *disc:* 83. *n.* 3: apud alios autem etiam viri hoc sibi nomen imponunt. Quid super his moribus tibi videtur? Poloniam commendabit reverentia, cujus intuitu nemo vocatur hoc nomine, quemadmodum virorum nemo vocatur IESU nomine: commendabit Virgineæ humilitatis imitatio, quæ cùm se vocare potuisset mundi Dominam, Dei Matrem; vocavit ancillam: commendabit ratio & lex, quæ nomen Imperatricis imponi vetat subditæ, aut cani: certè quod nomen Dei tetragrammaton, ne quidem nominare volebat vetus Ecclesia, dignum imitatione, & laude est: quanquam ejusmodi leges & ad Gentiles manârint, ita quippe Athenienses nomina fortissimorum Harmodii & Aristogitonis, qui libertatis gratiâ Hippiam tyrannum interficere adorsi erant, ne unquam servis indere liceret, decreto publico

san-

sanxerunt, quoniam nefas ducerent, nomina libertati patriæ devota, servili contagio pollui, ut refert Aulus Gellius, *lib:9. noct: Attic: c. 2.*

Pro aliis stabit amor, qui hujus signi inventor, & artifex est, ut magno hoc incitati nomine audeant ingentia, ferè sicut olim Socrates apud Platonem volebat pulcherrima nomina imponi pueris, ut hoc velut illicio ad rectè facta incitarentur, monerenturq; ipsâ nominis magni umbrâ, quales esse debeant, ut olim cognominem suum Alexander Macedo monuit, apud Plut: *in vita Alex: fortem*, inquiens, *esse vel nominis causâ decet*: stabit exemplum veterum, volentium, ut adoptivi, eorum ferrent nomina, ac per hoc in eorum familias transirent, à quibus adoptabantur; ut refert Dio Cassius, *lib: 46. Alex: ab Alex: lib: 5. gen: dier: c. 4.* & alii: stabit confidentia filialis in Virginem, quæ toties vult revocari sibi matrem, quoties se vocari audiet, imò persvasum sibi habet se tutum esse cum hoc nomine, ab adversis etiam in morte, juxta quod dicit S. Bonav: in psalt: *Gloriosum & admirabile Nomen tuum, qui illud retinent, non expavescent in puncto mortis*: & perire non posse, super quem nomen Dominæ invocatum est, esseq; id majoris efficaciæ, quàm nomen Petri, quod veteribus Christianis pro salvo conductu erat, aut nomen Ioannis, de quo persvaserunt sibi Iaponii, quan-

quantumvis superstitiose, neminem Ioannis nomine insignitum damnari posse, ut in annuis Iaponum refert Ioan: Giromi: *pag*: 183. Insuper, si verum est, quod habet sæpe citatus Vega *pal*: 18. *cert*: 3. cælites auxilio & precibus MARIÆ salutem sempiternam consecutos Marianitas dictum iri, ac Sanctissima IESU & MARIÆ nomina in frontibus gestaturos: stabit exemplum cælitum: stabit Deus ipse nomen suum inscribens bonis, cùm eos vocat Deos, & filios excelsi omnes. Et hæc quidem sunt quæ pro se allegare possunt, quibus nomen pretiosum MARIÆ in agnomen venit. Cæterum utriusq; partis rationabile sit factum, ut tamen obvia quæq; de lupanari mulier hoc nomen pudefaciat, probare non possum, quin totus sum in eo, ut approbem, quæ habet super hac re Ludovicus Vives, & Georgius Viviennus, cujus posterioris hæc sunt verba: lib. 1. de officio bonæ Matrisfamilias c. 20. *Ego verò*, ait, *id seriò dico cum Vive, neq; enim amplius hic jocandi est locus. Edicto publico deberet caveri, ne qua manifestò impudica mulier MARIA nominaretur. Cur nos ei nomini, cui meritò adsurgimus, cui poplitem flectimus, non tantum honoris habeamus, quantum quibusdam suis Gentiles? Nefas est*, ait Hieron: ep: ad Susannam lapsam. *Susannam vocari non castam*, ego autem dico, pro-

prope ſacrilegium eſt MARIAM vocari, quæ immunda eſt.

PRÆSENTATIO B. V.

BEATA VIRGO hodie attulit & obtulit Deo omne bonum, honeſtum, utile ac delectabile.

1*mò*. Attulit omne honeſtum, quia attulit plenitudinem virtutis, quæ honeſtatis nomine appellatur, facta non tantùm populi ſui honorificentia, ſed etiam Dei, flores enim ejus fructus honoris, & honeſtatis, qui & Chriſtum in vilitate carnis noſtræ decorârunt, & Deum in ſede Majeſtatis magnificârunt: Reflecte te ſuper ſingulas virtutes, & dic: quòd glorioſus hodie Deus eſt coram & in ancilla ſua.

2*dò* Attulit utile Deo, tum quòd ex ipſa carnem, quâ hactenus carebat Deus, aſſumpſerit, tum quòd per eam bona extrinſecæ magnitudinis, notus olim ferè tantùm in Judæa Deus obtinuerit, unà cum gloria nominis; nam ut loquitur Richardus à S. Laur: de laud: Virg: lib: 4. *qui in ſe non movetur, hujus humiliatione exaltatus eſt*, idq; tam ſublimiter, ut meritò S. Bernardinus tom: 3. ſerm: de Aſſumpt: B. V. aſſerat, *quòd in ſua humiliatione, devotione, gratiarum actione, plùs magnificat Deum, quàm omnis creatura ſimul ſumpta*, ut meritò conſiderans hæc, quæ attulit Deo

Deo, dubitare possit, an etiam de se MARIA dicere possit, cùm omnia bene fecerit, serva sum inutilis.

3tio. Attulit bonum delectibile, idq; in tanta abundantia, ut præ dulcedine, ipse Deus exultârit ut gigas ad currendam viam, & à summo cælo egressus, Rex Regum in uterum Virginis processerit, & qui priùs habitare nolebat cum homine, quia caro est, hac tractus voluptate, cùm hominibus inventus sit Deus factus caro. Quam Dei voluptatem cùm considero, videtur de se Deus dicere posse illud apud S. Bonav: in psalterio. *Dulcore tuo liquefactum est cor meum, amore tuo inflammata sunt viscera mea.* Certè si nobis ejus recordatio super mel & favum dulcis est; si, ut Bern: ait, nunquam sine dulcedine sibi insita memoriæ portas ingreditur; si, ut ait S. Pet: Dam: *serm:* 1. *de Nat: B. V.* felices sunt Angelici Spiritus, qui B. V. habent præsentiam, neq; tamen comprehendunt magnitudinem ejus, quantæ putas deliciæ sunt illi, à quo non absconditur, quod intrinsecus latet: deliciæ Dei esse cum filiis hominum, & cum Matre filiorum hominum, cum Matre Filii Dei Unigeniti, imò ipsa quanta est Mater hæc, deliciæ, dulcedo & gaudium Dei est, quod nemo tollat ab eo.

Secundo discursui materiam dabunt ea, quæ in templo fuerunt accommodata præcellentiis

lentiis B. V. v. g. Sancta Sanctorum, in quæ nulli patebat ingressus, nisi summo Sacerdoti, Sancto Sanctorum, Christo Domino, ubi fuit pretiosus ille thesaurus, tabernaculum, & thronus Dei, ac thalamus, illudq; scabellum Divinitatis adorandum. Fuit arca, quæ pro propitiatorio habitura erat eum, qui est propitiatio pro peccatis nostris, pro testamenti tabulis, legislatorem in duabus naturis digito Dei scriptum, pro Virga Aaron, florem de radice Iesse: aut, ut id aliter explicat Richardus à S. Laur: lib: 10. de laud: Virg: *in qua erat manna Divinæ contemplationis, virga recti tudo perfectæ operationis, tabulæ testamenti, Mariana veritas & sapientia, intus fulgens auro cordis munditiæ, ad extra circumsuta corporis Virginei fulgore &c.*

Tertio discursui materiam dabit quæstio, quid in hac Præsentatione Deo fuerit gratissimum? an oculus Deum prospiciens? vel lingva Deum suspiciens? cor Deum respiciens? an pes, ea quæ mundi sunt, despiciens &c. perquam quæstionem occasio tibi offertur magnificandi membra hæc Mariana, & virtutes iis proprias.

ANNUNTIATIO B. V.

QUid magis VIRGINEM commendet, quòd hodie fiat Mater Dei, an quòd se vocet Ancillam? Quia Mater est, assi-

assimilatur Patri; quia Ancilla, assimilatur Filio humiliato usq; ad formam servi: quia Mater est, habet ea bona, de quibus S. Thom: 1. p. q. 25. a. 6. MARIAM, inquit, *ex Maternitate esse cum quadam infinitate, ratione cujus non potest esse aliqua creatura sublimior,* quia ancilla est, habet eam vilitatem, de qua S. Bonav: in speculo: c. 8. *quod eâ humilior nulla unquam fuit, nec est, nec erit in æternum. Quod fæmina,* ait S. Bernardinus, tom: 2. conc: 61. art: 1. c. 12. *conciperet & pareret Deum, fuit miraculum miraculorum, oportuit enim, ut sic dicam, fæminam elevari ad quandam æqualitatem cum Deo, per quandam infinitatem perfectionum & gratiarum, quam infinitatem nunquam creatura experta est.* Quòd ancilla Domini eadem, quæ & Mater, nescio an non æquale, aut majus sit, sicut majus miraculum est exinanire se usq; ad formam servi, & peccatoris, quàm tantùm simpliciter hominem fieri: ob maternitatem jus accepit secundùm Anselmum, cælo, terræq; præsidendi, rerum omnium conditarum Domina effecta, cùm creatoris Mater extitit; quod ipsum ex Aristotele 8. Ethic: c. 11. colligitur dicente: quòd *naturâ pater filiorum imperium obtinet.* Ob humilitatem Domina facta est Domini sui, & prima omnium, quæ se fecit novissimam; ideoq; omnibus altiùs meru-

it honorari, quæ demissiùs se gerebat omnibus: hinc bene magnus ille notæq; sanctitatis vir in Societate nostra P. Gaspar Druzbicki in fasc: exercit: part: 10. exerc: 3. docuit: quòd B. V. ex eo, *quòd fuerit Mater Dei, habuerit plenum in Deum dominium, dederitq; ei Deus regnativam potestatem, hæreditationemq; sui absolutam, ita ut fas fuerit MARIÆ Filium Dei ex se genitum tanquam mancipium habere, imò & in mancipium vendere, si ita necessitas exegisset, proles namq; naturaliter servitium debet parentibus, & hi jus regnativum habent in prolem, & sunt ejus hæredes, tanquam possessionis suæ propriæ, & in vitæ suæ, libertatisve subsidium, possunt prolis suæ vitâ & libertate uti.* Iam verò quòd tanta Mater ancillam Dei se exhibeat, vicem reddit Deo subjiciendo se se illi ad omnes usus possibiles gloriæ & voluntatis Dei citra exceptionem ullam, idq; novo titulo donationis, & subjectionis voluntariæ. Deniq; ratio matris radix est illarum prærogativarum, quæ transcendunt perfectiones omnes puræ creaturæ, nam, ut ait S. Anselmus: lib: de excell: Virg: c. 2 *quòd Dei Mater est, excedit omnem altitudinem, quæ post Deum dici, aut cogitari potest:* & B Petrus Dam: serm: de Nat: Virg: *quidquid majus est, minus est Virgine, solusq; opifex opus*
illud

illud transgreditur: & iterum: *Taceat & contremiscat omnis creatura, & vix audeat aspicere tantæ dignitatis immensitatem!* adde quòd ipse Deus per Maternitatem acceperit se totum, scilicet Deum & hominem, cùm per eam ut causam & existentiæ suæ Theandricæ originem, ac fontem genitus sit, quo nulla pura creatura majus dare potuit Deo. Plùs tamen dicere audeo de eo, quòd ancilla facta fuerit, nam ratio ancillæ, ipsius etiam Maternitatis radix fuit, nam quia humilis ancilla fuit, respexit Deus humilitatem ejus, & eam beatam dicunt omnes generationes. *O Sancta* igitur, loquor cum Augustino, serm: de superbia. *venerabilisq; humilitas! tu Dei Filium descendere fecisti in uterum Sanctæ MARIÆ Virginis.* Bene Bern: hom: 1. super Missus *etsi de Virginitate placuit* (adde, si lubet, etiam de Maternitate) *tamen de humilitate concepit,* imò etsi ob Maternitatem in ea apparere debuit omne illud, quod perfectionis fuit; tamen ob humilitatem ipsa etiam Maternitas apparere debuit. Quod ipsum colligunt Rupertus, Bernardus, & alii ex illo Cant: 1. Dum esset rex in accubitu suo (id est Verbum in sinu Patris) nardus mea dedit odorem suavitatis, id est, humilitas mea traxit illud in terras. Humilitas virtus erat, *cui,* quod tradit Rupertus in cap: 2. Cant: *cunctæ virtutes, omnes*

mnes gratiæ, cuncta dona, quæ Virginem MARIAM exornabant, tributa pendebant. Alludit hìc Rupertus ad ea quæ habet S. Ambr: de nomine Christi, dum ait: *Christi nomen tibi munificum, tibi fructuosum, tibi tributa dependit, non pecuniæ, sed gratiæ.* Quæ & alia ejusdem generis considerans Nirembergius de amore B V. cap: 16. exclamat: *Magna (quis neget) MARIÆ dignitas est, Dei Matrem esse, ei sangvinem suum communicâsse, attamen majus aliquid ejus parvitas est, & in tanta excellentia, summa humilitas*: hinc advertit, quòd quamvis Christus B. Virginem magìs amaret, quàm ullus Filius Matrem, nunquam tamen in Evangelio legatur eam vocâsse Matrem, causamq; putat esse, quòd plura suppeterent, ob quæ pluris illam faceret, quàm ob Maternitatem. Quare quamvis fortè respectu nostri verum sit illud, quod habet S. Thom: de Villa-nova: serm: de Nativ: B. V. *Sufficiat tibi*, inquiens, *quod dixit Evangelista, de qua natus est IESVS. Quid amplius quæris? quid amplius? sufficit quod Mater Dei est*, minùs tamen verum est respectu Virginis ipsius scientis gloriam suam ab exinanitione petere; minùs verum est respectu Dei ipsius magìs æstimantis, præmiantisq; exinanitionem hanc, quàm Maternitatem, quantumvis per eam, ut vult
Alb:

Alb: M. in Mariali c. 237. fuerit illi, puta Deo, *propinquissima similitudine, dignitate, familiaritate, substantiæ identitate.*

Pari modo instituere posses & aliam quæstionem, quid optabilius sit Virgini, an manere Virginem sine Maternitate Dei, aut amissa Virginitate, fieri Matrem Dei? Pro Virginitate est, quia hæc est virtus, secùs Maternitas: bonum autem virtutis quovis alio præferri debet &c. pro Maternitate est, quòd longè pateat magìs bonum Maternitatis quàm Virginitatis, hæc enim uni MARIÆ bona est, Maternitas autem toti universo: jam autem bonum latiùs patens melius est, ob quam majorem bonitatem etiam nunc solent Pontifices voto Virginitatis adstrictos liberare in gratiam boni publici, facta potestate Regibus nubendi. Vide Vegam, *pal*: 19. *cert*: 7.

DISCURSUS 2dus.

DIes hic boni nuntii est, nam rara nunciat, scilicet quòd panis è cælo volutus everterit tabernacula Madian, quòd interpretatur litigantium inimicorum Dei; quòd fæmina circumdedit virum, facta Mater ejus, à quo esse habet, nec Virgo esse desiêrit, quòd Deus alienior ab homine, ac, ut sic loquar, inhumanus humanitatem induerit, mitior factus, quia habet, cui timeat.

Cara nunciat nova, nam captivus homo in peccatis pretium redemptionis reperit in unione VERBI cum homine; quòd thesaurus omnis Dei in manus nostræ devenerit gentis; quòd frumentum electorum uno statere veneat in porta Samariæ, id est, quòd tanti Deus factus est, quanti homo, quem Patres nummum Dei appellant.

Chara nunciat nova, nam perdita ovis inventa est, ac in humeros Pastoris Dei sublata per susceptionem nostræ naturæ, drachmamq; invenit Sapientia Dei, accensâ lucernâ illâ, quæ illuminat omnem hominem. Deniq; prostratus Deus, & captivus ad media pacis inclinat, dato obside medio SS. Trinitatis. &c. Facto hoc discursu, revoca quæ unquam alicui obtigerunt nova rara, cara, & chara, & applica mysterio hodierno, nam cunctarum hæc novitas gratissima rerum.

DISCURSUS 3tius.

QUid magis gratulandum Virgini, quòd dicatur gratiâ plena, an quòd Dominus sit cum ea? Pro plenitudine gratiæ facit, quòd bonum gratiæ unius transcendat bona omnia, nam, ut habet S. Thom: 1. 2. q. 113. a. 9. ad 2. *Bonum gratiæ unius majus est, quàm bonum naturæ totius universi*: addunt alii: quàm bonum gloriæ ipsius, quia propter gratiam, gloria

bo-

bonum eſt, ideoq́, gratia majus bonum eſt. Ex quo inferunt aliqui, gloriam non placituram ei qui ſine gratia eſſet, ſicut nec damnationem nocituram ei, qui gratiis abundaret inter tormenta inferni. Adde quòd ex hoc, quia B. V. eſt gratiâ plena, habeat Dominum ſecum, nam gratia illicium eſt, quo advocatur Deus, eſca qua tenetur, pulſâq́; gratiâ, Deus ipſe pellitur. Deniq́; quòd cum ea ſit Dominus, hoc habet commune cum Gedeone, aliisq́; pluribus, quòd autem plena ſit gratiâ, hoc ſolius eſt Virginis; unde bene de ea agens S. Gregorius Neo-cæſarienſis orat: 1. de annunc: dicit, quòd *eam ex omnibus generationibus ſolam elegerit gratia*, tanquam opus ſuum, in quo vires ſuas omnes exerat, & theſauros ſuos omnes recondat: Bonavent: verò in ſpec: B. V. c. 13. quòd *tanta gratiarum copia abundaverit in MARIA, ut etiam ipſa gratioſa Virgo, gratia quodammodo dici poſſit: omnis* alia *creatura*, ait Richardus à S. Laur: lib: 1. de laud: Virg: c. 4. *habuit aliquid vacuitatis, quia majorem gratiam recipere potuit, Virgo autē ſic uſquequaq́; gratiâ fuit plena, quia majorem gratiam habere non potuit, niſi fieret Deus*. Audax dictum, quod fortè movit P. Chriſtophorum Vegam, palæſt: 16. certam: 5. ut(ſecutus Almainum in 3. diſt: 3. q. 2. docentem, tantam eſſe MARIÆ gratiam, ut de po-
tentia

tentia Dei absoluta nulla major sit possibilis) doceret in B. V. fuisse gratiam habitualem intensivè simpliciter infinitam, & non solùm æquivalenter; hoc est talem, quæ vinceret sua substantiali perfectione omnem collectivè omnium Sanctorum, quantumvis in infinitum multiplicaretur, gratiam: quod aliàs plures docent apud P. Aldrete disp: 51. de Incarn: sect: 7. cum S. Bern: Sen: tom: 2. conc., serm: 51. a. 3. c. 1. *Virginem Beatam plus meruisse, quàm omnes creaturas tam Angelos, quàm homines in cunctis actibus, motibus, ac cogitationibus suis*. Bene igitur elegerit Virgo Beata, si dixerit, quòd postea S. P. N. Ignatius fecit *Amorem tuum Domine cum gratia tua mihi dones, & dives sum satis, nec ultrà quidquam posco*.

Iam verò, quòd potiùs ei gratulandum sit, quia Dominus est cum ea, patet ex sequentibus: siquidem per hoc, quòd Dominus est cum ea, habet omne, imò summum bonum; per plenitudinem autem gratiæ tantum habet creatum bonum, quòd licèt superet omnia bona creata, adeoq; ipsam visionem Dei, longè tamen exceditur ab eo, qui bonorum omnium largitor est, & possidetur per hoc, quòd sit cum Virgine. Adde quòd ascetæ ut plurimùm à gratia excedi visionem Dei doceant, non quòd gratia sit nobilior, quàm gloria, quæ est præmium supra

con-

condignum, sed quòd gratia tollat indignitatem peccantis, gloria autem tantùm præmiet dignitatem justi, quòd minus est æstimabile, quàm prius: sic quippe S. Thom: ubi suprà ait. *Donum gratiæ impium justificantis majus est, quàm donum gloriæ beatificantis: quia plùs excedit dignitatem impii, qui erat dignus pænâ, quàm donum gloriæ dignitatem justi, qui hoc ipso quòd est justificatus, est dignus gloriâ.* Quod quidem quàm disconveniat Virgini, nemo non videt. Et quamvis concedam infinitatem gratiarum inclusam in hac plenitudine, maximè cum S. Damasc: orat: 2. de dormit: B. V. Virginem vocet *abyssum gratiæ immensam*, aliiq; PP. infinitam: nego tamen non esse id singulare, quòd Dominus sit cum illa. Audi quod sapienter scribit S. Hieron: *jam*, ait *cum Virgine erat, qui ad Virginem mittebat Dominus, ubiq; per essentiam, in cælis per apparentiam, in Angelis per præsidentiam, in Sanctis per gratiam, in assumpta humanitate per unionem, sed in Virgine per totius Deitatis præsentiam, & corporalem existentiam.* Deinde non nego, quòd plurimorum ferax sit bonorum gratia Divina, si tamen ad fontem redire volumus, cogemur dicere, quòd omnium horum, imò & gratiæ ipsius origo sit hoc, quia Dominus erat cum illa. Colligi hoc potest ex iis, quæ habet S. Andreas Cre-

tensis orat: de dormitione Deip: *si quid, ait, quod nos superat, Divina operata est gratia nemo miretur, intuens ad novum, & ineffabile quod in ea peractum est mysterium, ab omni infinitate infinities infinitè exemptum*: quasi diceret, nemo mirabitur tantam fuisse gratiam in Virgine, cùm viderit ipsum fontem omnis gratiæ Dominum fuisse cum illa. Ex quibus etiam patet illud de electione, si scilicet alterutrum per impossibile eligi deberet à Virgine, vel carere Domino, vel gratiæ plenitudine, aut, ut in adducta ascetarum phrasi maneam, si sine gratia luenda esset pæna sensûs omnium damnatorum, non tamen luenda pariter esset pæna damni, sed etiam inter tormenta illa, possidendus esset Dominus, quid aliud putas eligendum à Virginum prudentum prudentissima? nisi postremum hoc: cùm, qui Deum habet, ei nihil obesse possint tormenta. Stat ergo quòd optimam partem electura esset MARIA, scilicet ut Dominus sit cum ea: dicturaq; *quidquid mihi dare vult Dominus meus, præter se ipsum, dulce mihi non est, auferat totum, & se mihi det.*

VISITATIO B. V.

CUm MARIA psallit, Ioannes salit. Occasione hujus quæstionem institue, quid super his hilariis sentiendum?

1mò. S. Thom: de Villa-nova conc: de Visit: B. V. *solet,* ait, *naturali quodam prodigio in consonantibus citharis evenire, ut unius chordâ pulsatâ, alterius quæ eodem pacto concinens est chorda, & nulla alia contremiscat:* Ita omnino contigit in proposito, concinentes erant citharædorum cælestium lyræ, una VERBUM, altera Vocem gestat, & quid VERBO consonantius sua voce? persónat una, contremiscit altera; *ut facta est,* inquit, *vox salutationis tuæ in auribus meis, exultavit infans in utero meo.*

2dò. Acus magnetica Ioannes est, (diriget enim populos in viam rectam) hinc non mirum, quòd moveatur ad polum; heliotropium est, movetur ad solem etiam cùm adhuc in nube uteri materni est: Præcursor futurus, & magnus coram Domino, adhuc parvulus exultat ut gigas ad currendam viam, ipso saltu loquens illud: *Quocunque jusseris, ibo.*

3tiò. A Tarantula peccati originalis morsus erat Ioannes, adest fidelis psaltria, & feliciter à veneno sanatur imò ad salutationem ejus infunditur vigor vitæ cælestis Ioanni, fitq; verum de MARIA, quod de salutatione Pauli habet S. Chrysostomus in 2. Tim: 1. v 1. inquiens: *Sufficit sola salutatio Pauli gratiâ implere eum, qui ita salutatur.* Non dubitate jam sapientes, in novi: an plenilunio cre-

ata

ata ſit Luna? cum tanta lux utiq; derivata à ſole Iuſtitiæ ſedenti in tenebris præcurſori affulgeat à MARIA.

4to. Salit Ioannes tempus naſcendi prævenire geſtiens, ut veneretur eam, in qua miſericordia & veritas obviaverunt ſibi, aut quòd poſtulet mitti in mare mundi hujus innocentior Ionas, ſciens, quòd propter eum tempeſtas hæc facta ſit &c &c. Deniq; ſi audiret infernus, quanta diei hujus lætitia ſit, diceret, quod nuper Philiſtiim, 1. Reg: 4. *Venit Deus in caſtra, væ nobis, non enim fuit tanta exultatio heri & nudius tertius.*

DISCURSUS 2dus.

MARIA concepto Chriſto feſtinat, *neſcit* enim ait Ambr: lib: 1. In Luc: *tarda molimina Spiritûs Sancti gratia* feſtinat in montana, *quo* enim, ait idem, *Deo plena niſi ad ſuperiora contenderet?* non eam gravitat, qui portat orbem ſub elementis mundi factus, cùm eſt in centro exinanitionis ſuæ, ſed potius promovet in montana primus motor, ut ſit mons in vertice montium, in quo beneplacitum eſt Deo habitare in eo. Sequamur MARIAM in montem, in quo debent adorare veri adoratores viſuri mirabilia, quæ Deus in monte hoc operatus eſt.

1mum mirabile in monte Mariano, quia de

de eo abſcinditutr lapis ſine manibus, id eſt Chriſtus ſine virili ſemine paritur, qui inimici contriturus eſt imaginem, ac in pulverem redacturus.

2dum mirabile, quia rubus in hoc monte ſancto ardens incombuſtus eſt, nam ut loquitur Heſychius, ſerm: 2. de laud: Virg: factum eſt tantum miraculum, cùm *MARIA peperit, & uterum non aperuit, concepit & vulvam non corrupit; eduxit infantem, & uterum ſignatum reliquit, lac ſuppeditavit, ubera tamen intacta conſervavit.* Et Gregorius Niſſenus hom: 2. de Chriſti Nat: *Quemadmodum illic eſt rubus, & tangit ignem, & non comburitur, ita hic eſt Virgo, quæ lucem parit, & non corrumpitur.*

3tium mirabile, quia in monte hoc innovantur omnia, quæ in Sinai monte facta ſunt, dantur tabulæ Moyſi, id eſt duæ naturæ in Chriſto populo Dei, in quibus lex viva digito Dei ſcripta eſt. Deſcendit Deus in igne dilectionis, aſcendit fumus de monte, hoc eſt Orationes VERBI pro nobis incipientis interpellare, pro tonitruis Dei benedictio, pro nube obumbrante SS. Humanitas Dei eſt. Deniq; ſepelitur Moyſes, hoc eſt Chriſtus in utero Virginis abſconditur.

4tum mirabile, quia in eo innovantur ea, quæ in Transfiguratione in monte Thabor

bor facta sunt, transfiguratur Christus, facies ejus sicut sol Ioannem illuminat sedentem in tenebris: vestimenta ejus alba sicut nix accepta de candidissima carne innocentissimæ Virginis: lucida nubes obumbrat, id est, uterus Virginis Matris: paterna vox auditur in præcursore, qui Vox clamantis Dei est. Veteris noviq; testamenti Patrum vices subeunt Zacharias & Ioseph, MARIA & Elizabeth. Bonum est hic esse, ubi Pater & Mater benedicens, Filii exultantes, MARIA magnificans est. Deniq; illustris hic mons Thabor est, quod interpretatur lumen veniens, quia primo venit lux nova de cælis transfigurante se Domino in formam servi. Applicabis facilè alia, quæ in aliis montibus Deus fecit magnalia.

DISCURSUS 3tius.

MAteriam dabit Canticum Marianum, quod *Canticorum canticum, canticum amoris, per amorem, canticum nuptiale, canticum deniq; novum meritò vocavit Gerson*, tom: 4. in Magnif: de quo bene illud dixeris, quod de Evangelio ait Chrysologus, serm: 146. *non apices, non literæ, non syllabæ Divinis sunt vacuæ mysteriis*. Ego in initio ejus solùm sisto, plura enim præscripta libri brevitas non patitur. Magnificat MARIA Dominum, & Dominus MARIAM, illa se hu-

miliando

miliando, hic eam exaltando: pulchrum certamen, in quo non facilè victorem invenies, nisi aliunde scias etiam hic Deum præmiare supra condignum. Magnus Dominus coram quo ita deprimitur MARIA: Magna MARIA, cui tantam communicat magnificentiam Altissimus. Magnitudinem rei ex umbra metiri solemus; Dei potes ex umbra seu nihilo Mariano, nihil est Virgo, si in libram veniat cum Deo, simul tamen cùm eâ infinities præponderet Deus, non videre non potes, quàm in lance sui nihili elevetur MARIA, nisi fors ignores, lancem aliam tantò magis erigi, quantô altera pondere major est illâ. Magnus Dominus, & magna virtus ejus, qui ex nihilo fecit universa; magna ancilla Domini, & magna virtus ejus, de cujus nihilo, ut primum illud *Fiat* audivit ex ore Virginis ipse creator, factus est similis creaturæ. Deniq; amore hujus nihili majestatem suam exinanivit Deus factus propè nihil, & gloriosus apparuit, magnificatusq; est Rex Isràël coram, & ab Ancilla Dei, cùm discooperiens se carnis nostræ centonibus prope nihilum apparuit. Non dicat jam Apostolus Phil: 1. *magnificandum Christum in corpore suo*, sed nec beatus David canat tam magnificata esse opera tua Domini; canat potius MARIA, quia gloriosè magnificatus est Dominus equum & ascensorem dejiciendo in mare, id est ipsum

se projiciendo in nihilum MARIÆ. Non capis adhuc quantus sit in MARIA Deus, & in Deo MARIA, in nihilum ejus convertere, & liquidò agnosces plùs magnificari Deum ab eo, cujus vita humilis propior est nihilo.

PURIFICATIO B. V.

FEstum hoc puritatis Marianæ congruè explanandum suscipiet illud S. Anselmi: lib: de conc: Virg: c. 18. *Decens erat, ut ea puritate, qua sub Deo major nequit intelligi, Virgo illa niteret.*

1mo. Dices purissimam B. V. per recessum longissimum ab omni impuro: sic videtur sentire S. Thom: 1. p. q. 25. a. 6. inquiens: *dicendum, quòd puritas intenditur per recessum à contrario, & ideo potest aliquid inveniri creatum, quo nihil purius esse potest in rebus creatis, si nulla contagione peccati inquinatum sit, & talis fuit puritas B. V.* Porro si quantum recesserit à malo scire vis, ipsam suspicionem & umbram peccati fugit abstinens se, quod dicitur *Thessal:* 5 ab omni specie mali, quod præberi poterat iis, qui ignorantes mysterium Virginalis ejus puritatis, reputâssent eam prævaricatricem legis, si non observâsset ritum purificationis. Quanquam independenter ab actu hodierno tantus in ea à malo recessus erat, ut putârint multi, ne potentiam quidem

pec-

peccandi ei relictam, sic quippe Paludanus *in 3 p. dist:* 3. *q.* 2. *a.* 4. docet ei habitum infusum, per quem auferebatur potentia physica peccandi etiam venialiter, sicut tollitur eadem potentia in humanitate assumpta per unionem hypostaticam. Richardus autem à S. Vict: *lib: de Emmanuele* ortam putat ab actu perfectissimo amoris, Herice *in* 1. *p. tr:* 3. *d.* 24. *c.* 3. secutus Occamum & Gabrielem à subtractione generali concursûs facta B. Virgini à Deo ad actum peccaminosum: quod quamvis alii apud Salazar *tom:* 2. *in prov:* *c.* 13. veriùs & meliùs explicent de impotentia tantùm morali, universim tamen omnes docent quàm longissimam fuisse Virginem ab omni impuritate verum agnoscentes illud S. Aug: *lib: de nat: & grat: c.* 36. *De Sancta Virgine MARIA propter honorem Christi nullam prorsus cùm de peccatis agitur, habere volo quæstionem, quia ei plus gratiæ collatum est ad vincendum omni ex parte peccatum, quæ concipere & parere meruit eum, quem constat nullum habuisse peccatum.* Cui eorum communi placito si quis se opposuerit, uno eum omnes ore petent dicentes cum eodem S. Aug: lib: de 5. hæres: c. 5. *Stulte unde sordes in Virgine Matre, ubi non est concubitus cum homine Patre? unde sordes in ea, quæ nec concipiendo libidinem, nec pariendo passa est dolo-*

rem

rem. Stat ergo purissimam dici Virginem ex hoc titulo, quia longissimè abfuit ab omni impuritate, aut ut loquitur S. Thom: 1. dist: 17. q. 2. a. 4. *quia in B. V. fuit depuratio ab omni peccato, ideo pervenit ad summum puritatis sub Deo, in quo non est aliqua potentia deficiendi.*

2do. Dices puram quidem dici posse B. V. per recessum à peccato, longè tamen purissimam per accessum ad peccatum, fulgentius enim apparet sidus inter nubes, & innocentior Virgo inter sordes peccati: sic nuper magìs elucebat Iosephi puritas, quo propior peccato fuit; sic Nöe mundior fuit inter immunditias carnis corruptæ, quemadmodum etiam dicere solemus, quia contraria contrariis elucescunt. Atq; huc videtur referendum illud Cant: 1. *Nigra sum, sed formosa filiæ Ierusalem*; quasi diceret: Peccatrix sum, sed pulchrior, & formosior ab hac sorde. Et verò si purissima fuisset Virgo tantùm per recessum à peccato, puritas ejus nunquam intendi potuisset, cùm æqualiter semper à peccato recesserit, & tamen dicitur purificata, dicitur sanctificata, quæ verba ad summum indicant majorem puritatem illi datam, & sanctitatem ut explicat Canisius, *lib:* 1. *de Deip: c.* 9. nam phrasis Scripturæ est docentis ea mundari & sanctificari, quæ aliàs munda erant, eò quòd majorem sanctitatem

ac-

acquirant: adde quòd per recessum à peccato tantùm ab illa remota fuerit immundities, non autem collata fuerit ipsa positiva puritas; neq; enim remotio immunditiei ipsa positiva puritas est. Proinde jure Anselmus tum loc: cit. tum de excell: Virg: c. 9. inquiens, quòd *pura sanctitas, & sanctissima puritas ejus omnem omnis creaturæ puritatem transcendit*, sic explicandus videtur, quòd ad tantam puritatem pervenerit Mater Dei, quia cùm sine peccato esset, inter peccatrices adlegi voluerit. Bernardi est illud: *Bonarum mentium est, ibi culpam* (suam) *agnoscere, ubi culpa non est*: purissimarum est, ibi culpam suam ab aliis agnosci velle, ubi culpa non est; nam & unigenitus Dei, cùm sua non haberet nostra portavit delicta, factus in similitudinem carnis peccati, ac velut in aliena sorde puritas ipsa se purificavit mundior, cùm inter peccatores inventus est quasi unus ex eis apparens, quàm cùm mundissimus in se ipso puritatem suam ipse solus novisset. Idem planè dicere potes de puritate Virginis, nam & hæc puritatem intendit ad præsentiam contrarii, dum quasi una ex peccatoribus facta est, unde quod S. Aug: serm: 22. de Nat: Dom: de partu ejus dixit: *Virgo partu nupsit, Virginitatem, dum pareret, duplicavit*; tu jure dixeris de peccato ejus: dum peccatrix fuit, innocentiam & puritatem duplicavit.

3tio. Dices purissimam fuisse B. V. per accessum puritatis alienæ. Doctrina S. Dionysii est: quòd perfectiones inferiorum debeant ex natura rei adunari cum excellentia in Superioribus: sic perfectio corporum adunatur in plantis, plantarum in brutis, brutorum in homine, hominis in Angelo: sic perfectio specierum visualium continetur in phantasia, phantasiæ in intellectu, & sic de cæteris: quæ doctrina si tenet, utiq; vides puritatem dispersam per alias creaturas adunari debere in B. V. illa quippe est in altiori ordine super omnes creaturas, cùm respiciat intrinsecè Filium Deum, ut uno ore omnes fatentur Patres cum B. Petro Dam: serm: de Nat: Virg: dicentes: *Quidquid majus est, minus est Virgine, solusq; opifex opus illud transgreditur &c.*

4to. Purissimam dices per accessum ad summè purum. Theologicum dogma est fundatum in S. Thoma: 3. p q. 27. a. 5. *quod quantò magis aliquid propinquat principio, tantò magis participat effectum illius principii*: jam verò B. V. propinquissima fuit principio summè puro. Ergo magis participavit puritatem ab eo principio, quàm alia pura creatura. Quæ ratio Patres movit ad dandam ei gratiam excedentem gratias omnium creaturarum; quia, ajunt, fuit vicinissima Deo: sicut enim corpus magis illuminatur, & calesit, quòd magis appropinquat

propinquat soli vel igni; sicut rivulus tantò purior est, ac tantò majores habet qualitates derivatas à fonte, quantò fonti vicinior est; sicut Angelus, ut habet S. Dionysius, tantò magis illuminatur à Deo, quantò ei propinquior est: sic MARIA omnium maximè participavit gratiam utpote propinquissima Deo, ut iterum S. Thom: *ubi suprà*. Pari modo argumentare de puritate B. V. orta ex appropinquatione ad Deum, quæ quidem appropinquatio tam arcta fuit, ut audeat dicere Albertus Magnus illud, in Mariali: *B. V. magis conjungi Deo, nisi Deus fieret, non potuit.* Et iterum: tract: super Missus, *dicimus quòd hæc puritas in summo est ab originali non dico distantia, sed segregatio, & ad primam lucem, quantùm possibile est puræ creaturæ Deiformis approximatio, unde secundùm rem nihil aliud est hæc puritas, nisi peccati originalis deletio, fomitis extinctio, gratuitarum perfectionum ultimatio*. Hæc ille. Deniq; bene Sylveira *tom:* 1. *l.* 2. *c.* 5 *n* 19. Virgo, *ait*, in sua purificatione maximè se assimilavit primæ veritatis regulæ Christo IESU: ex quo concludit puritatem ac sanctitatem in ea maximam fuisse, sicut enim Christum decuit adimplere omnem justitiā, cùm instar peccatoris Baptismo Joannis baptizaretur ad pœnitentiā; sic decuit obtinere summā puritatem B. V. cùm assimilaretur in su-

sceptione peccati illi, qui summè purus est.

5to. Purissimam dices ex aliis titulis, scilicet quòd electa fuerit in Matrem simul & Virginem, quò videtur respicere S. Thom: dum ait: Quòd eligit Deus ad aliquem finem, ita præparat, ac disponit, ut inveniatur idoneum ad talem finem, quod ex ipsis physicis patet, in quibus materia habitura formam nobiliorem debet habere nobiliores ad eam dispositiones. Cujus opinionis videtur fuisse Ivo Carnotensis serm: de Nativ: Dom: cùm ait, *Carnem de carne illius assumens, tam in Divinam munditiem transformavit*. Quæ etiam videtur genuina mens esse S. Anselmi, ait enim lib: de conc: Virg: c. 18. *Decens erat, ut ea puritate, qua sub Deo major nequit intelligi, Virgo illa niteret, cui Deus Pater unicum Filium suum, quem de corde suo æqualem sibi genitum tanquam se ipsum diligebat, ita dare disponebat, ut naturaliter esset unus idemq; Dei Patris & Virginis Filius, & quam specialiter sibi Filius in Matrem eligebat, & de qua Spiritus Sanctus volebat, & operaturus erat, ut conciperetur, & nasceretur ille, de quo ipse procedebat.*

DIS-

DISCURSUS 2dus,

EX occaſione Virginis redimentis Chriſtum, quære quod ſit fundamentum in re, cur à Patribus B. V. vocetur Redemptrix, ſeu corredemptrix noſtra? qualiter inter cæteros de illa ait S. Antoninus in ſum: p. 4. tit: 15. c. 44. quòd ſit *redemptrix hominis perditi*. Et S. Ephrem oratione ad Virg: dicens: *Per te reconciliati ſumus Chriſto Deo meo, tu captivorum redemptio, & omnium ſalus.* Idem habet Fulgentius ſerm: de laud: MARIÆ, explicans illud: *Ipſa conteret caput tuum*, aliiq; longè plurimi. Et quidem eam non poſſe vocari redemptricem principaliter, patet ex fide, nam Oſeæ 13, dicitur: *Ego Dominus Deus tuus, & Salvator, & non eſt præter me.* Et Iſai 14. *Deus juſtus, & ſalvans, & non eſt præter me:* unde & Apoſtolus unum ait eſſe Mediatorem inter Deum & hominem, Chriſtum Domini. Ratio hujus inſuper eſt, quia ad hoc ut quis dicatur Redemptor principalis, requiritur immediata liberatio hominum à ſervitute peccati, diaboli, concupiſcentiæ, mortis æternæ; item ſolutio debiti contracti per peccatum, ſatisfactio condigna &c: quæ utiq; in B. V. cadere non poſſunt. Minùs ergo principaliter dicitur Redemptrix B. V. at quo ſenſu?

1mò. Hunc titulum elucidare videtur

Alber-

Albertus Magnus *tract: super Missus est* docens ideo dici redemptricem, quia ipsa protulit pretium redemptionis nostræ, id est, corpus Christi, & sangvinem effusum pro nobis; cùm enim Christus secundùm Divinitatem pati non posset, ut redimeret hominem, passus est in carne sumpta de Virgine: ex quo sic argumentatur: Quod est causa causæ, est etiam causa causati: B. V. est causa Filii, Filius autem est totius boni, & omnis misericordiæ causa. Ergo & Mater ejus totius misericordiæ causa est; si ergo redemptio Christi fuit summum opus misericordiæ, particeps operis hujus erit Mater Beata, utpote de cujus carne erat, qui redemit nos: quod ipsum confirmat ex modo loquendi Ecclesiæ canentis: Hodie mortem quam fæmina intulit, fæmina fugavit; mulier quæ damnavit, ipsa salvavit: & concludit. Quidquid igitur misericordiæ Filius exhibuit, totum hoc nobis Mater contulit, quæ Filium genuit, in quo nobis omnia donavit. Similia ferè habet Gviliel-mus Abbas apud Delrium in illa verba Cant: 8. Una est columba mea, inquiens: Est MARIA unicè electa genitrici suæ, singulariter electa ad ministerium redemptionis, & generationis gratiæ: insigne quippe & singulare ministerium gratiæ redemptrici exhibuit in eo, quòd ipsum redemptorem sibi, nobisq; pro lacte aluit, atq; ad annos maturitatis perduxit.

Et Sophronius ep: de Assumpt: *Veneremur salutis victricem, dum autorem suum concepit de cælo, Redemptorem nobis præbuit in terra.*

2do. Stellarium B. V. *lib:* 11. *p.* 1. *c.* 9. redemptricem mundi vocat, quia primò invenit gratiam apud Deum, sine qua nemo salvus esse potest, ac quamvis Adam etiam aliiq; Patres veteris testamenti dicantur gratiam invenisse, hanc tamen, quòd observat S. Antonin: invenerunt tantùm pro se, non autem pro toto humano genere. Item quia per eam primò lumen fidei mundus accepit, quod quidem sic declarat: per Ioannem Baptistam dicentem, Ecce Agnus Dei; credidit Andreas, per Andream Petrus, per Petrum Roma, per Romam mundus universus. Ergo per Ioannem credidit universus mundus: Sed unde Ioannes lumen accepit fidei, nisi à B. V. quando visitando Elizabeth Ioannem sanctificavit, & illuminavit; totus ergo mundus per B. V. lumen fidei accepit, & salutem. Adde quòd ipsorum Apostolorum magistra & doctrix fuerit MARIA, per quos salus mundo apparuit.

3tio. S. Aug: serm: 18. de Sanctis, refert ad assensum Gabrieli præstitum inquiens: O *Beata MARIA, quis tibi digne valeat jura gratiarum, ac laudum præconia rependere, quæ singulari tuo assensu mundo succurristi*

curristi perdito. Id ipsum passim habent Patres alii adhortantes B. V. ad assensum exhibendum Angelo.

4*to*. Richardus à S. Laur: lib: 1. c. 5. vocat redemptricem, quia eadem passa est, quæ Christus: unde ait. *Cum Dominus dicit torcular calcavi solus, & de gentibus non est vir mecum, verum est Domine, quod non est vir tecum, sed mulier una tecum est, quæ omnia vulnera, quæ tu suscepisti in corpore, suscepit in corde, & sicut lancea militis perforavit latus tuum, ita gladius doloris ejus animam pertransivit, & sicut tu, non quod voluisti, sed quod Pater tuus voluit, sustinuisti; ita ipsa, non quod illa voluit, sed quod tu voluisti, sustinuit tecum*. Hinc est, quòd ut in prædicto stellario legitur, sola Virgo Christo propriè compassa dici possit, nam quamvis Apostolis etiam posset convenire aliquomodo compassio, non tamen fuit compassio cum Christo; omnes enim in eo scandalum passi sunt; ut nec mulieribus illis propriè conveniebat compassio, quibus nescientibus quid flerent, ait Dominus: nolite flere super me, sed super vos ipsas flete; solius Virginis erat compati, quia sola compatiendo credidit. Talem se redemptricem ipsa B. V. dixit S. Birgittæ: lib: 1. revelationum c. 35. *Sicut Adam & Eva uno pomo mundum vendiderunt, sic Filius*

lius meus & ego redemimus mundum quasi uno corde: ipse Filius erat mihi quasi cor meum: qualiter ferè loquitur etiam B. Arnoldus Carnoten: tract: de laud: B. V. inquiens: *Vna erat Christi & MARIÆ voluntas, unumq; holocaustum, ambo pariter offerebant Deo, hæc in sangvine cordis, hic in sangvine carnis.* Et iterum tract: de Christi verbis in cruce. *In tabernaculo illo duo videres altaria, aliud in pectore MARIÆ, alterum in Christi corpore, Christus carnem, MARIA immolabat animam &c.* Quem quidem modum redimendi conditionatum fuisse colligere est ex S. Ambr: *super stabat ad crucem,* dicente: MARIA stabat ad crucem, ut si mors Filii non sufficeret, ipsa ad populi redemptionem prona esset etiam mortem subire. Et ex S. Bern: optabat, inquit, ipsa sangvinem suum addere, & cum Filio suo sacrificium vespertinum celebrare.

5to. Dionysius Richelius *lib: 2. de præcon: & dignit: B. V. art:* 9. vocat redemptricem, quia denuo reparat eos, qui à gratia Filii sui per ingratitudinem prolapsi sunt, facta ipsis refugium.

6to. Deniq; optimè S. Antoninus 4. *p. tit:* 15. *c.* 20. § 10. in omni genere causæ vocari docet redemptricem: quia, *ait,* in genere causæ efficientis post Deum, sub Deo, &

cum

cum Deo ipsa nobis eum genuit, qui nos omnes recreavit, seu regeneravit per passionem suam virtutem gratiæ conferentem in sacramentis, & ut suum Filium gigneret, suis virtutibus de congruo promeruit. Causa materialis fuit Virgo hujus recreationis nostræ, quia Spiritus Sanctus de purissimis ejus sangvinibus consensu mediante accepit, quod in corpus formavit Christi, per quod redemptio nostra & recreatio facta fuit. Causa verò formalis, quia sua conversatione cælesti speculum est omnibus convertendi se ad Deum. Causa deniq; finalis, quia totum opus redemptionis post Deum in Christi Filii ejus, ut homo est, honorem, & gloriam est ordinatum, & ideo seniores coronas ante pedes Agni deponebant. Conclude cum S. Bonav: in psalt: *Ecce Domina salvatrix mea, fiducialiter agam in te, & non timebo, quia fortitudo & laus mea in Domino es tu, & facta es mihi in salutem.*

DISCURSUS 3tius.

Simeon dimitti postulans viso salutari, occasionem dabit quæstioni, quibusnam modis impetrari possit gratia præsentiæ Marianæ in morte nostra? qui modi, quia longè plurimi sunt & obvii, hicq; vel jam attacti, vel attingendi; ab iis narrandis hic supersedeo: id unum dico, nihil ex parte Virginis desiderari, quo-

minus

minus ipsa præsens sit cuiq́; : modò dignum se quisq́; præbeat præsentiâ ejus: nam ut bene Salmeron tom: 3. tract: 5. *B. V.* ait, *quod Christo nascenti, morientiq́; adstitit, obtinuit gratiam assistendi moribundis*, facta juxta *Vbertinum Cassalium*, lib: 4 arboris vitæ cap: 15. *advocata morientium & ablutrix scelerum, colligens sangvinis Divini lavacrum, faciei Divinæ pallores, & dolores vulnerum, ut pro filiis suis morientibus, quod voluerit, impetrare mereatur, hinc non rarò visibiliter hoc in articulo occurrit, si non in manibus, saltem in corde morituri reponens filium suum.*

Ex eadem occasione licebit instituere quæstionem: utiliorne an jucundior præsentia MARIÆ sit morituro?

Pro utilitate majore faciet, quòd præsentia B. V. in agone sit purificativa à peccato, sit impeditiva periculorum malè moriendi, sit collativa gratiæ bene moriendi, sit adductiva Christi & visionis Dei: Et certè si illa matrona apud Surium 28. *April* tanti fecit unam præsentiam S. Paphnutii Martyris, ut totam vitam suam non tanti à se fieri asseveraverit, quanti unam præsentiam Paphnutii, quanti obsecro æstimanda est utilitas orta è præsentia MARIÆ, hoc desperato rerum articulo.

Pro jucunditate facit, quòd ea omnem

transcendat

transcendat utilitatem, ut ubi quis ponit utile, invenias jucundum. Deinde si nulla esset utilitas in hac visitatione, una ratio jucundi sufficeret ad ambiendam hanc præsentiam, ferè sicut ascetæ loqui solent, & tormenta gehennæ desiderabilia fore, si jucunditas visionis beatæ citra ullum utile inibi esse posset. MARIAM, inquiet non-nemo, volo, non ea, quæ secum fert MARIA, ferè quod ille ait, te ego non tua quæro, imò si de dando agitur, mea do omnia, quæ habeo lubens, modò gaudere liceat de præsentia MARIÆ.

Pro utroq; facit, quòd nec jucunditas excedat utilitatem, nec utilitas jucunditatem, quia ubi utilitas amatur, amatur quia jucunda est, & ubi jucunditas diligitur, diligitur quia utilis est. Non capis hæc? quæro cur jucundaris in præsentia MARIÆ? nisi quia adest bonum, cujus possessio parit gaudium: & en utilitatem in jucunditate: rursus, cur quæris utilitatem in præsentia MARIÆ? nisi quia adfert gaudium: & en jucunditatem in utilitate; à qua alterutrum non faciliùs, quàm MARIAM à MARIA separaveris.

Festum septem Dolorum Beatæ Virginis.

DISCURSUS 1mus.

DIes hæc meritò vocari potest natalis filiorum MARIÆ, in hac quippe genuit eos Mater piissima gemens in doloribus reposcente naturâ debitum afflictionis cum fænore, quod olim non solvit pariens primo-genitum in gaudio, quemadmodum loquitur Damasc: lib: 4. fidei c. 18. inquiens: *Virgo dolores partus, quos effugit pariens, illos tempore passionis sustinuit.* Et Bern: de lament: Virg: Mar: *Nunc*, inquiens, *solvis Virgo cum usura, quod in partu non habuisti à natura: dolorem pariendo Filium non sensisti, quem millies replicatum, Filio moriente, passa fuisti.* Proinde hoc natali suo ad se pertinere putet omnis filius MARIÆ illud Eccli: 7. *Gemitus Matris tuæ non obliviscaris:* cui monito satisfaciet, si primo discursu inquisiêrit, quis maximus tortor fuerit B. V. in die dolorum ejus?

1mò. Videtur dolor maximè afflixisse B. V. nam doloris nulli termini erant, quod innuitur Thren: 2. ubi dicitur: quòd *magna sit, velut mare contritio ejus*, hinc ipsa mare amarum omni dolore plenum facta est, in quo

ad fundum nunquam pertinges in doloribus: Quam causam attingere videtur Anselmus: de excell: Virg: c. 5. *Quidquid*, ait, *crudelitatis inflictum est corporibus Martyrum, leve fuit comparatione tuæ passionis, o Virgo, non crediderim te potuisse stimulos tanti cruciatûs, quin vitam amitteres, sustinere, nisi ipse spiritus vitæ, spiritus consolationis te confortaret, te consolaretur, te intus doceret, non esse mortem eum absumentem, sed magis triumphum omnia ei subjicientem*, quasi diceret, quamvis quivis Sanctorum de se dicere possit; quòd abundant passiones Christi in nobis, in Virgine tamen superabundant, & supereffluunt. Et hinc est quòd Patres eam vocant Martyrum Reginam, alii autem cum Gverrico Abbate, serm: 1. de annunc: Martyrem Martyrum, alii cum Bern: serm: super signum magnum, plùs quàm Martyrem, in qua corporeæ sensum passionis excesserit compassionis affectus. Porro magnitudinem dolorum adumbrare videtur Innocentius III, dum ait: Dolores Virginis erant *maximi intensivè, quia maternam ejus animam penetrârunt, & inconsolabili mœroris vulnere afflixerunt: Erant maximi extensivè, non solùm aliquot dierum continuatione, verùm etiam vi omnium Christi Domini tam internorum, quàm externorum cruciatuum*
con-

consideratione. Erant maximi ostensivè, quia lugubri gestu, fusisq; lachrymis internorum dolorum magnitudinem manifestabant. Tunc enim verè facta est quasi vidua Domina gentium: plorans ploravit in nocte, & lachrimæ ejus in maxillis ejus, non est qui consoletur eam, & amaritudine mæroris maternus amor ejus certatim obruebatur. Vehementiam hujus doloris recogitans S. Bernardinus Sen: tom: 3. serm: 45. p. 2. ait: *Quodsi dolor ille foret partitus, & divisus inter omnes mundi creaturas vitales, caderent mortuæ*: & iterum: *Quia omnes dolores mundi, & alii suprascripti, si essent simul conjuncti, non essent tot & tanti, quantus fuit dolor Gloriosæ V. M. reverberati & recepti cum crudelissima passione Christi.*

2*do*. Videtur amor maximè afflixisse B. V. ad quod imprimis probandum ratio servit philosophica. Major afflictio est quæ radicem habet in parte nobiliore hominis, quàm quæ in ignobiliore, jam verò afflictio amoris radicem habet in parte superiore scilicet in anima, dolor autem tantùm in carne; hinc fit, ut major sit afflictio quæ oritur ab anima, & redundat in carnem, quàm quæ à carne, & redundat in animam. Porro ejusmodi afflictionem fuisse B. V. perquam manifestum est, *amor enim Virginis*

ginis, ait Anselmus, *non solùm erat incitamentum, sed & mensura dolorum*, & S. Bern: Sen: *secundùm intensionem amoris, intensio erat doloris*: magìs igitur afflicta fuit amore. Equidem admitto B. V. esse Martyrem & plùs quàm Martyrem, sed non hìc sisto, specialem hanc ei insuper tribuo prærogativam, quòd fuerit Commartyr Christi, quòd fuerit Martyr charitatis, *plùs enim est*, ut observat Gvilielmus Parisiensis, in Cant: 3. *esse commartyrem Christi, quàm Martyrem Christi*; deniq; verba sunt S. Laur: Iustin: de laud: Virg: fol: 196. *cùm alii Martyres sint propter fidem, MARIA passa est propter charitatem, unde dicit in Canticis secundùm aliam literam quam ponit Gregorius: Vulnerata charitate ego sum, & sicut charitas major est, quàm fides, sic MARIÆ martyrium quantalibet excellit martyria Sanctorum*. Adde, quòd in aliis Martyribus fuerit martyrium carnis, in quo vi nimiâ sensus obtunditur: in MARIA autem supplicium cordis, quod in immensum solet excrescere: illorum corporale; MARIÆ spirituale: illi in suo, id est in hominum sangvine; sed MARIA Filii, hoc est sangvine Dei intus rubebat: illi tormenta passi sunt in refractaria, noxia, multoq; odio digna carne, quam vel ultro susceptis pœnis acerrimè mactabant, & in mor-

tem

tem offerebant: at Virgo torquebatur in anima sua, & in corpore suo omni honore & amore dignissimo; anima enim dolorem communicat corpori, siquidem hæc ut docet Aristoteles 2. *de anima*, nullam habet operationem, quam non communicet corpori: torquebatur in innocentissimo corpôre Filii, quod longè incomparabiliterq; magis amabat, quàm ullus Martyrum vitam suam: martyres tormenta intuitu Dei pertulerunt sua; Virgo tormenta Christi intuitu hominum omni odio dignorum: deniq; quantò martyrum charitas ferventior erat, tantò minus tormenta senserunt, ubi enim amor est, ait Aug: labor non est, pæna non est, quomodo Egesippus *exped: Ierosol: lib:* 3. *c.* 12. narrat milites Romanos in expugnatione Ierosolymæ, cùm ferventi oleo ad ima defluente vestigia perfunderentur ita *arsisse animis, ut nullum corporis sentirent incendium*: secus fuit in Virgine, nam quò ardentior ejus amor erat eò sensus fuit acerbior: ut enim leve est pati aliquid ejus causâ quem impensè diligis, sic gravissimum est intueri extrema tolerantem, illum, quem impensè & tenerè diligis. Bene Salmeron: *tract*: 43. *tom*: 3. Ejus dilectio fortior fuit, quàm mors, qua ipsam Christi mortem, suam esse fecit: dolor enim interior major est exteriori, quia illius objectum est omne malum appetitui repu-

 gnans

gnans, quòd magìs adversatur appetitui, quàm malum corporis ipsi appetitui repugnet; quòd patuit in Sanctis Martyribus, qui ut conscientiæ dolorem effugerent, libenter externa subibant corporis tormenta: nam omnis plaga tristitia cordis est, ut dicitur *Eccli*: 25. Stat ergo, quia amor causa tormentorum Virgineorum erat maxima, quem alias etiam inter carnales parentes respectu filiorum S. Chrysost: vocat *grandem naturæ tyrannidem*, verumq; est illud Bonaventuræ. in offic: de Compass: B. V. *Nullus dolor amarior, quia nulla proles charior*: & Richardi à S. Vict: cap: 26. in Cant: *quantò incomparabiliter amavit, tantò vehementiùs doluit, unde sicut non fuit amor, sicut amor ejus, ita nec fuit dolor similis dolori ejus*. Amor, qui animam B. V. magìs fecit ibi esse, ubi amabat, quàm ubi animabat, cujusq; ea virtus est, ut amantem transferat in amatum, omni eo dolore, quo afflictus est Christus, afflixit & Matrem, faciendo eam *per omnia Christiformem, & cruciformem*, ut loquitur Simon de Cassia, lib: 2. vit: Christi c. 27. eademq; irrogando, quæ amato manus persequentis infligebat, *quod enim in carne Christi agebant clavi & lancea*, dicit Bern: serm: si lingvis hominum, *hoc in Virginis mente passio naturalis affectionis, & materna angustia.*

3tiò.

3tiò. Maximè afflixisse videtur Filius ipse; dolet quippe Virgo nemine persequente eam, nisi fors persecutorem Christi veneficum dicas, qui, ut noceat Matri, in imaginem ejus, Filium scilicet ejus, sævitiem suam effuderit, more maleficorum, qui cùm personæ nocere volunt, imaginem fabricant, in cujus quamcunq; partem sæviunt, in eadem dolet is, cui nocere volunt. Filius tamen, dixi maximè afflixisse videtur Matrem suam, idq; propter naturarum, complexionum, morum, propensionum, & voluntatum sympathiam, quæ ut gaudiorum, sic dolorum communicationem facere solet. *Heu fili mi bonitas tua, nimia mansvetudo, & justitiæ tuæ zelus te simul, & me perdiderunt,* dicebat olim Mater Agidis Lacedæmoniorum Regis recepto ejus à rebellibus subditis occisi cadavere in gremio suo, ut refert Plutarchus: *in apoph:* Dicere idem potest Virgo Beata, nam nisi ille offerri voluisset, Mater non ita doluisset. *Gen:* 49. primo-genitum Ruben vocat moriturus Pater Jacob fortitudinem suam, & principium doloris sui: principium & causa unica doloris Virginei ipse filius, qui & fortitudo ejus est; *tantus* quippe ait Bern: hom: in Evang: Sabbathi *impetus passionis Domini IESV fuit, ut quasi torrens ipsum impleret patientem, & inebriaret, qui dein in Matrem flueret;*

Et hinc est, quod à primis Ecclesiæ temporibus Christiani expressuri dolorem Virginis, quemadmodum indicem dolorosi Martyrii Petro crucem, Paulo gladium, Bartholomæo pellem, aliis alia doloris instrumenta, sic B. V. dederint Filium suum in gremio emortuum.

4*to*. Videtur maximè afflixisse Virginem alter MARIÆ filius nunc primùm in dolore genitus, modò enim tempus illud est, de quo Joan: 16. *Mulier cùm parit, tristitiam habet quia venit hora ejus*, & quod revocat Tobias senior juniori Tob: 4. *Honorem habebis Matri tuæ omnibus diebus vitæ tuæ, memor enim esse debes, quanta pericula passa sit propter te.* Hic Filius modò genitus affligit Matrem, quia & ipse mortuus est, ut observat Anselmus citatus in stellario lib. 9. p. 2. a. 3. dicens: *ambo Filii MARIÆ fuerunt mortui in passione, unus crucis acerbitate, alter mentis infidelitate, & ideo viscera MARIÆ plena fuerunt amaritudine:* magis autem plena erant propter secundum, propter cujus mortem magis etiam doluit ipse Filius Dei, quàm propter tormenta sua: quod ipsum ex eo collige, quia apud multos mors Christi sterilis facta est, nullumque fructum fecerunt dolores patientis; jam verò verissimum illud est, quod habet S. Thom: in 3. physic: quod *ex perditione finis magis augetur*

tur dolor, quàm ex eorum perditione, quæ sunt ad finem.

5to. Videtur maximè afflixisse B. V. tota SS. Trinitas, Pater quasi alienum se exhibendo, ac oblitum Unigeniti, suæq; Filiæ ter dilectæ: Filius miserrimum se omnium creaturarum demonstrando, ac una secum Matrem configendo: Spiritus Sanctus umbram illam protectionis suæ subtrahendo: incassum cecidisse videntur omnia illa dona, quæ de largitate Dei plenissimè participavit, & secundùm mensuram donorum & gratiarum infudisse in æquali dolorem, ita ut justè mutari possit illa salutatio, qua per legatum suum Gabrielem olim salutavit Virginem, diciq; non jam gratiâ, sed mærore ac desolatione plena, quia Dominus recessit ab ea, ideoq; propè maledicta inter mulieres, nam conformis facta est Filio facto pro nobis maledictum secundùm quod dicitur: maledictus omnis qui pendet in ligno.

6to. Videntur maximè afflixisse aliæ circumstantiæ, locus, tempus, associatio, prælatio latronum, impossibilitas dandi auxilii, cùm maximè auxiliari vellet, negatio simultaneæ mortis, dignitas Personæ patientis, & indignitas supplicia irrogantium, & in iis adhuc subsannantium &c. Videtur maximè afflixisse sensus communis, propter quem & feræ concurrunt ad necem suorum, sympathia summa, natura

tura ipsa matris, & gratia incomparabiliter superior naturâ, quam gratiam cùm considerat B. Amadæus *hom: 5. de Virgine Matre* audet dicere: eam passam esse *ultra humanitatem*: quasi diceret: ultra quam homo pati poterat; vereor dicere, quam homo Deus passus sit, non veretur id tamen S. Bonav: *in cursu de compassione B. V. lect:* 1. ubi hæc sat audacia habet: *Hæc majorem dolorem habuit, quàm Salvator, qui tot sustinuit,* illo rerum articulo, quo ut loquitur Metaphrastes hom: de dormit: Deip: *unâ Filii plagâ innumeris ipsa plagis sauciabatur.* Quæ quidem S. Bonaventuræ sententia quàm vera sit non disputo, innuisse id sufficiat, quod bene cum fide stet dolorem minùs perturbativum & minùs anxiativum fuisse in Christo, qui immenso intervallo fortitudine & magnanimitate Virginem præcedebat, quàm fuerit in Matre. Lege de hoc plura apud Salazar *in prov: cap:* 8. *vers:* 14. *n.* 82. Deniq; concludere potes nullum fuisse maximum dolorem Virginis, ibi enim solus dolor maximus est, ubi alii minores dantur; jam verò in Virgine nullus parvus seu minor dolor erat, quia ex quocunq; oriatur, semper summus est.

DISCURSUS 2dus.

DOlueritne magìs B. V. die Veneris Christo patiente, an die Sabbathi quiescente? 1*mò*. Videtur magìs doluisse Christo patiente, tunc enim omnes Christi dolores reverberabantur in Virgine, dolebatq; ad mensuram dolorum Christi, imò *dolor Christi erat ejus, quia cor Christi erat cor ejus*: ut dicit ipsamet de se S. Birgittæ: lib: 1. reu: c. 35. tunc erat lamentabile illud tempus, de quo S. Bonav: in stim: Div: amor: cap: de planctu Virg: *Filius*, ait, *in corpore o Virgo, tu in corde es passa, singula vulnera per ejus corpus sparsa, in tuo corde sunt unita*, quo tempore nec ipsam Virginem Matrem apud ipsam Virginem Matrem invenire potuisses: *quæro*, pergit idem, *Matrem Dei, & invenio spinas, clavos: quæro MARIAM, & invenio vulnera, & flagella, quia tota conversa es in ista*. Econtrà Christo quiescente si non plenè extinctus, certè multùm remisisse videtur dolor Marianus, præterquam enim, quod sciverit carnem Christi jam esse omnis doloris expertem; scivit etiam brevi adfore tempus, quo Christus devictâ morte reversurus esset, ut accipiat sibi regnum & gloriam, & honorem. Adde quòd quiescente Domino fomes dolori subtractus sit, ardorq; ejus cinere

se-

ſepulchri tectus, ideoq; in eo ſtatu conſtituta ſit Virgo, quo dici poſſit de ea vulgatum illud: *Quod oculus non videt, cor non dolet.*

2do. Videtur magis doluiſſe ſepulto Chriſto, quàm patiente; tunc enim corpore Chriſti reddito impaſſibili, cùm juxta menſuram dolorum Chriſti pati non poſſet, ultra omnem menſuram paſſa eſt: tunc erat illud tempus, quo reliquit eam Dominus deſolatam, & toto die mærore confectam, nunquam tamen minùs ſolam, quàm cùm ſic ſola eſſet, omnis enim dolor incubuit ſuper eam, qui tantò magis dolentem torquebat, quantò remotior erat, qui conſolaretur eam. Nec remiſit dolor ex cognitione Chriſti corporis jam non paſſibilis, ac ſecuturæ paulò poſt reſurrectionis, nam *quamvis hæc non lateant Virginem*, ait S. Greg: Nazian: trag: de Chriſto patiente, *quæ poſt brevi futura ſunt, ſed mæror excedit gravis fiduciam*: quemadmodum in animabus flammâ purgatorii detentis dolorem non minuit propinquitas eliberationis, ac ſecuturorum brevi gaudiorum; ſic nec eum in Virgine minuit propinquitas reſurrectionis, ac futuræ brevi lætitiæ. Nec remiſit dolor ex eo, quod ejus oculis corpus Chriſti ſubtractum ſit, non enim perinde abſentia dolorem, ſicut fomitis ſubtractio extingvit ignem; quod ad oculum patet in matre Tobiæ junioris dolente

ſuper

ſuper abſentia filii, aliisq; paſſim, qui amiſſa prole vel bonis miſerrimos ſe identidem appellant, quòd habuerint, jam non habeant. Adde quod abſens eſſe nequeat, qui ſincerè amatur, colligatur quippe inviſibili vinculo amans amato, ita ut neutrum ab altero ulla diſtantia ſeparare valeat. Deniq; quòd Chriſti corpus pati jam non poſſet, hoc præſtitit natura, quòd autem in Chriſti corpore pati poſſet MARIA, effecit amor & gratia MARIAM inter mille occaſiones moriendi conſervans vivam, ut etiam in occiſo Salvatore pateretur, niſi fortè quis poſſet negare paſſam, cùm lancea crudelis Chriſti latus aperuit, & Chriſtus jam mortuus pati non poſſet.

3tiò. Videtur magìs doluiſſe Chriſto patiente, quia immediatior & propior dolor gravior eſt, nam ut ait Ariſtoteles de anima *potentia propinqua magìs percipit objectum, quàm remota.* Si enim mediatus ſit dolor, paulatim in morem degenerat, ſicq; ab aſſvetis non fit paſſio. Iam verò Chriſto patiente immediatus fuit dolor Virginis, tortor enim in Chriſtum ita ſæviit, ut per vulnera ejus dolor tranſiret in MARIAM, qui non citiùs feriret Filium, quàm ictus ſentiretur in Matre; quorum quidem ictuum cùm unus alium exciperet, neceſſe fuit maximum fuiſſe dolorem in corde Virginis (cor enim callum non obducit,

cùm

cùm sæpe feritur) Christo patiente: nam sepulto Christo & ictus desiêre, & habitus duntaxat dolendi fuit, ac ut sic dicam dolor mediatus, qui quo longiùs abit, eo minor est, sicut ramus quò longiùs à trunco abit, eò tenerior est. Deniq; sepulto Domino hæc poterat esse consolatio Virgini, quòd satisfactum sit Iustitiæ, nec ampliùs unius etiam aciculæ punctura Christum corporaliter afflictura sit, ac propter Christum, Matrem ejus.

4to. Videtur magìs doluisse Christo sepulto, quia conjunctior fuit dolor, nam cùm pateretur, dolor unus trudebat alium, major scilicet minorem, nec minor sentiebatur præ atrocitate majoris advenientis. At verò sepulto Domino omnis dolor renovatus est, ac per modum unius egit in animam Virginis, sicut aliàs dici solet unita virtus fortior, & conjunctus dolor crudelior. Rediêre in animum Virginis species omnium tormentorum simul, quæ in passione aliunde impediebantur torquentes cor tenerrimum, auctusq; est dolor ab occubitu solis justitiæ ferè sicut ægri dolor noctu augetur magìs, cùm interdiu species doloris soleant impediri. Sed & immediatus dolor fuit hoc temporis articulo, nam ipsam animam Matris immediatè configebat, cùm id per Christum facere non posset: nisi fors immediatum ideo neges, quod immediatè ante fuerit pars

illius

illius, & ſic dolorem damnatorum licebit aliquando non dicere immediatum, minoremq́; quàm olim fuerit, ſi decurſu temporis dolor decreſcit. Ad ſummum ergo ſenſualis, & qui in parte irrationali eſt dolor cum tempore deficit, & minuitur; non autem, qui eſt in parte animæ: hic enim creſcit eundo adinſtar fluminis, cujus initia parva ſunt, progreſſio auctior. Quod de conſolatione additur ex eo, quia ſatisfactum eſſet juſtitiæ, hoc etiam pro ipſo tempore paſſionis ſerviebat, nec enim minus conſolationis eſt, quòd ſatisfactum ſit juſtitiæ, quàm quòd actu ſatisfieret, & quòd præter hanc vicem nulla illi ultra dominatura ſit afflictio. Deniq́; in paſſione ſaltem aliqua lucida, ut vocant, intervalla, habere potuit Virgo, ſive cùm videret confuſos in conſiliis ſuis impios, ſive cùm innocentiæ Chriſti patronum audiret judicem & latronem, aliaq́, plura ſepulto verò nulla conſolatio eſt, niſi ut quòd olim David poſt obitum filii ait: Abſolon fili mi, fili mi Abſolon, quis mihi det ut moriar pro te? ſi tamen doloris vehementia loqui permiſit; tantum enim curæ leves loquuntur, ingentes ſtupent: quod patuit in amicis Iob, ſeptem diebus & ſeptem noctibus aſſidentibus afflicto abſq́; eo, quod ei loquerentur verbum. Iob 2.

510. Videtur magis doluiſſe Chriſto patiente, tunc enim ei in omnibus aſſimilata eſt,

ut sicut ipse vir dolorum erat; ita mater per omnia similis ei redderetur: unde sicut Christi patientis cruciatus excedebant omnia cruciamenta, sic & dolores compatientis MARIÆ excederent. Pondera obsecro atrocitatem tormentorum Christi, & invenies, quanta facta fuerit contritio ejus per omnia assimilatæ dolenti Christo. Inter cæteros atrocitatem tormentorum sic graphicè depingit S. Edmundus, *in speculo Eccles: cap: 23.* citatus à P. Theoph: Raynaudo libro cui: tit: Christus Deus homo lib: 4. sect: 2. cap: 9. *Si omnes,* inquit, *morbi, & dolores istius mundi essent in corpore unius hominis solius, & si homo ille posset concipere tantam angustiam, & tantos dolores, sicut omnes homines in isto mundo, parum esset aut nihil, per comparationem ad dolorem, quem sustinuit pro nobis in una hora diei. Vnde si possem vivere per centum mille annos, & qualibet die millies mori pro eo, eadem morte, qua pro me mortuus est semel, nihil esset in comparatione ad dolorem, quem habuit in se. Tunc diceret aliquis, quòd pœna, quam sustinuit Christus in cruce pro nobis fuit major, quàm pœna inferni in tanta hora: Verùm: & propter istam causam nulla creatura potuit tantùm pati sicut JESVS, quia nullus habuit in se tantùm*

de veritate. Sed aliqua creatura potest pati pœnam infernalem in igne perpetuo. Ergò apparet, quod pœna infernalis fuit minor in tanto tempore, quàm pœna Christi. Non dico certitudinaliter propter scientiam alicujus gentis: Propter hoc dicit Dominus de se ipso per Ieremiam Prophetam. O vos omnes qui transitis per viam, attendite & videte, si est dolor sicut dolor meus. Certe nullus dolor est, nec unquam fuit in isto mundo, ad dolorem tuum dulcissime IESV. Hactenus S. Edmundus: MARIÆ cruciatus mensura ad hos cruciatus, & invenies quantùm doluerit, certè quæ supra ex S. Anselmo & Bernardino attulimus non multum ab his dissentiunt. Iam verò si sepulto Domino facta fuisset accessio doloris, per eum non potuisset dici assimilata Christo, nec ei fuisse compassa; compassio enim dicit simultatem passionis in alio, quæ in Christum jam cadere non poterat celebrantem post opera passionis Sabbathum requiei Ad summum ergo tantum illum continuavit dolorem quem in passione habuit, non autem insuper aliquod ejus accepit augmentum.

6to. Videtur magis doluisse Christo sepulto, hocq; ipsum ex assimilatione cum Christo deducitur tunc etenim, per modum unius, ut supra dictum, dolor Christi illi incubuit, fa-

ctaq;

ctaq; sunt præsentia illi tormenta omnia, quæ præterierunt, sicut fuerunt Christo præsentia omnia, quæ futura erant; unde sicut Christum hæc simultas dolorum sustinendorum ita afflixit, ut factus in agonia pateretur majora, quàm postea sustinenda essent, quemadmodum habet S. Greg: Nazian: orat: 2. in Iulian: inquiens: *Cogitatione præsentiens tantos dolores Christus, eosq; simul omnes præconcipiens, & meritissimo timens multò plura passus videri potest, quàm cùm inferebantur re ipsa singuli*· sic assimilata Virgo dolorosa, & in hac dolorum collectione considerata plura multò passa videtur, quàm cùm singula tormenta pateretur irrogata Christo. Et hæc ratio videtur esse, cur Ecclesia Sancta Sabbathum depotissimùm memorandis cruciatibus B. V. dedicaverit, prout advertit D. Antoninus, *p.* 4. *tit:* 15. *c.* 24. Suarez *tom:* 2. *in* 3. *p. disp:* 21. *sect:* 4. Spinellus *in Deip: c.* 11. *n.* 2. & alii.

ASSUMPTIO B. V.

DISCURSUS 1mus.

MAjoráne motiva amandi B. V. habeamus post Assumptionem, quam si nobis conviveret?

Imprimis videntur majora amandi viventem motiva 1mo quia cùm vivit, magis assimilari

lari

milari nobis videtur, similes autem sibi magis sunt habiles; & similitudo major, major radix amoris est; jam verò post mortem multùm dissimilis nobis facta est, utpote in plenitudine majestatis exaltata super omnes cælos. 2*dò* dum vivit, vicinior nobis est, ideoq; magis amabilis, nam quò aliquid à nobis magis elongatur, eò magis amor ejus à corde distat; qualiter vulgò dici solet absentia esse remedium amoris: quod notavit S. Thom. in 3. dist: 32. a. 1. ad 2. inquiens: *Multum distantia non conversantur simul, quod est proprium amicitiæ*; quasi dicat: non amant simul: *simul enim esse, & convivere, congaudere, condolere, absq; se ne vivere quidem posse veri est amoris*, ait Aristoteles, 3*tiò* dum vivit, influit in sensus nostros sanctissimus amor illius; & non tantùm colligitur medio discursu; certum autem est, magis ad amorem movere, quod etiam apud inferiorem hominem amorem meretur, quàm quod tantùm superiorem ad amorem excitat. 4*tò* dum vivit ad amorem provocat verbis & exemplis; item reddit experimentaliter certos de amore reciproco &c.

Econtrà quòd in morte majora sint amandi motiva patet 1*mò* quia B. V. à morte sua est in auge amoris, quoad enim viatrix erat, & vivebat, crescere debebat in amore non minùs Dei, quàm nostri; à morte autem cresce-

re

re jam in eo non poteſt: par ergo eſt, ut major amor reſpondeat amori intenſiori: adde, quòd quantùmcunq; amârit in vita, nunquam tamen eum habuit amorem, de quo diceretur: fortis ut mors dilectio, id eſt, nunquam amore mortua eſt, præterquam cùm ſublata eſſet à nobis in plenitudine dilectionis. 2*do* quia à morte magìs æſtimatur, cùm tunc magìs cognoſcatur; quòd alias etiam doceri ſolet in proverbio, non agnoſci bonum niſi amiſſum, qualiter aliqui etiam non multum frugi homines à fatis ſuis nomen inveniunt, quòd in vita non habuerunt. 3*tio* quia amor ejus geminus eſt amori Filii ejus, hic autem à morte & in morte factus eſt amabilior, cùm in ea in finem & ad exceſſum dilexerit; per conſequens idem de B. V. dicendum erit: unde ſicut nihil de amore Filii Dei detrahitur, quod jam non cadat ſub ſenſum converſatio ejus, ſic nec decedit de amore Matris ejus, quod oculis noſtris eripiatur, maximè cùm aliunde luculenter ſuppleatur, quod per ſenſus haberi non poteſt. 4*to* regula amandi B. V. ipſe Deus eſt, certum autem videtur, quòd quantumvis in vita plurimùm dilexerit eam, longè tamen majorem ei à morte, noſtro modo loquendi, amorem præſtiterit exaltans eam ſupra omne, quod infra Deum eſt, tum quod ipſam tunc in amoris auge invenerit, tum quia tunc primò coram toto cælo manifeſtare

cæpit

cœpit, quantum præparârit amorem diligenti se, & super omnes diligenti, & nunc maximè diligenti.

DISCURSUS 2dus,

ACcipe laudandum corpus & animam MARIÆ ad imitationem ascetarum, qui inducere solent in resurrectione universali corpus beati gratulans sibi de tali anima, & vicissim animam de tali corpore. Gaudet igitur hodie anima MARIÆ de corpore glorioso, quia socium fidum laborum, scilicet corpus sanctissimum recepit, ideoq; ad plenam beatitudinem ipsa admittitur, nam ut Bern: ait serm: 2. de omn: Sanctis, *ad requiem exutæ à corporibus animæ sanctæ protinus admittuntur, ad plenam autem gloriam regni non ita*; donec scilicet detur eis corpus configuratum corpori claritatis Dei. At verò anima B. V. plena omni gaudio facta est, habet enim conglorificatum sibi corpus illud, Dei manibus fabricatum, tabernaculum in quo requievit Deus corporaliter, templum illud, in quo magnificavit Deum, cùm illum portaret in utero, *nec enim sequi debuit*, ait Augustinus, *corruptionis ærumna, quam nulla secuta est, tantum Filium pariendo, integritatis corruptio*, habet corpus illud, ex quo facta est purpura Filii Dei, thronus & corona, cui non est factum

ſimile opus in univerſis regnis: corpus illud, in quod deſiderant Angeli proſpicere, plenum pulchritudine, & ornamentis gloriæ; longè nobiliori perfuſum ſplendore quàm facies Moyſis, ad cujus tamen aſpectum caligârunt filii Iſràël, quia longè diutius, & longè intimius fuit in conſortio ſermonis Domini, deniq; illud corpus, quod poſt Deum major noſtra gloria, majus noſtrum gaudium eſt, quidquid enim poſt Deum pulchrius, quidquid dulcius, quidquid jucundius in gloria eſt, hoc MARIA, hoc in MARIA, hoc per MARIAM eſt, cui ſane convenit illud Iudith 15. *Tu gloria Ieruſalem, tu lætitia Iſràël, tu honorificentia populi noſtri.* Quos proin putes affectus animæ ſanctiſſimæ erga corpus benedictum ſcientis, niſi habuiſſet corpus hoc, ſe non habituram tot dona gratiæ & gloriæ ob Maternitatem Filii Dei.

E contrà corpus glorioſum ſicut per omnia animæ ancilla erat, ſic & nunc de ſuis, Dominæq; ſuæ bonis gaudet: ſervatum ſibi theſaurum, quem in vaſe fictili circumtulit, eſſe ſe (corpus) arcam; ſed arcæ manna eſſe animam, in qua omnes omnium Sanctorum gratiæ ſunt, ſicut in manna omnium ciborum ſapores erant: eſſe ſe rubum; ſed ignem rubi eſſe animam: eſſe ſe Virgam Ieſſe; ſed florem Virgæ eſſe animam: eſſe ſe altare Dei; ſed holocauſtum eſſe animam:

eſſe

esse se vellus mundum; sed velleris rorem esse animam: esse psalterium & citharam; sed citharæ chordam esse animam: pulchrum esse corpus; sed incomparabiliter pulchrius quod intrinsecus latet: fabricatam Dei manibus esse domum suam, ut nobilior domo Domina domum incoleret. &c. *Si Christus sol est, MARIA cælum est*, ait Hesychius orat: 2, *si Christus gemma est, MARIA arca, si Christus flos, MARIA planta*: quod ipsum facilè corpori, & animæ B. V. applicueris. Deniq; verum hodie factum est illud Iudith 12. *Nunc magnificata est anima mea præ omnibus diebus vitæ meæ.* Non moror in his, sciens nullibi faciliorem majoremq; inveniri materiam laudis, quàm in extollenda anima & corpore Mariano: ne tamen planè sicco pede transire videar, adnecto bona corporis, & animæ ulteriori discursui accommoda ex D. Bern: serm: de villico iniquit, de quibus sic S. Doctor. *Septem sunt bona corporis, pulchritudo, fortitudo, velocitas, libertas, sanitas, voluptas, diuturnitas vitæ. Septem quoq; sunt bona animæ: sapientia, amicitia, concordia, honor, pietas, potestas, jucunditas.*

DISCURSUS 3tius.

DIes hæc coronationis MARIÆ est, qua quidem die tantum meruit gloriæ accipe-

re, ut non abs re dicat Ildephonsus serm: 2. de Assumpt: *sicut incomparabile est, quod gessit, & ineffabile, quod percepit, ita & incomprehensibile præmium gloriæ, quod meruit:* imò non ipsa tantùm gloriam accepit, sed tota cæli moles per ipsam, quod observat Aug: serm: de Nativ: Virg: inquiens: *Ipsum cælum quod penetrâsti o MARIA, nec non ea, quæ in eo sunt contenta, nova & ineffabili gloria decorâsti, prioremq; ejus gloriam ultra quàm dici potest, tua præsentiâ magnificâsti, nova illis ac præcellenti dignitate irradias, immensaq; luce coruscas.* Reflecte te hac die gloriosæ coronationis super coronam Virginis, quam obtinuit, videbisq; quantùm honorata sit, quam Dominus voluit honorare.

1mo igitur aptabis ei coronas triumphantium; nam & illa Civicam meruit, cùm non unum civem, sed totum genus humanum servaverit, secundùm quod Patres volunt: cælum & terra, inquiunt, jam dudum ruissent, nisi MARIA precibus sustentâsset. Meruit obsidionalem, siquidem ejus ope fortis armatus fractus est, & tota ejus potentia cecidit, secundùm quod canit Ecclesia; gaude MARIA Virgo, cunctas hæreses sola interemisti in universo mundo. &c.

2dò. Aptabis ei coronas Scripturæ. S. Thom: ordinariè ait Sanctis in Scriptura quadruplicem

druplicem dari coronam; argenteam, quæ est index puritatis animi, de qua Zach: 6. *Sumes argentum, & facies coronas, & pones in capite Iesu filii Iosedec Sacerdotis magni*: dari etiam stelleam iis, qui præeminent scientiâ, de qua *Apoc*: 12. In capite ejus corona stellarum duodecim: dari auream charitatis, de qua *Eccli*: 45. Corona aurea super caput ejus expressa signo sanctitatis: deniq; gemmeam æternitatis, de qua *ps*: 20. Posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso: quæ omnes coronæ, quàm accommodè serviant B. V. nemo non videt.

3tio. Aptabis coronam Moysis, de qua Eccli: 45. quòd *coronavit eum Dominus in vasis virtutis*: quâ quidem coronâ ita gloriosa est MARIA, ut nihili propè fiant diademata reliquorum Sanctorum in comparatione illius, cùm alios una aliqua specialis virtus commendet, MARIAM verò tota virtutum universitas: quod ipsum item figuratum videtur in corona stellarum duodecim, per quam non pauci universitatem virtutum intelligunt; quodq; ipsum denotari videtur facto viginti quatuor Seniorum projicientium coronas suas ante thronum Agni, quasi enim viles coronas suas agnoscerent, & pedibus non capite dignas, cùm B. V. coronatam intuentur, quæ throni Agni symbolo denotatur.

4to. Aptabis coronam illam 1. *Macch:* 13, dicitur enim quod Tryphon *imposuerit sibi diadema Asiæ*, hoc est, ut explicant interpretes, signum terræ illius, cujus Dominus esse volebat. Quæ quidem corona dominii creaturarum, seu, ut vocant, potestativæ jurisdictionis tradita est B. V. unde dicit Bern: Data est tibi o MARIA omnis potestas in cælo & in terra, ut quidquid volueris valeas impetrare; quod innui videtur Eccli: 24. cùm dicitur, *in Ierusalem esse potestas ejus*, & Cant: 4. cùm vocatur à Sponso, illo invitatorio: *Veni de Libano sponsa mea, veni de Libano, veni coronaberis de capite Amana, de capite Sanir & Hermon, de cubilibus leonum, de montibus pardorum*; quibus in verbis quadruplicis potestatis corona notari videtur, primò enim per caput *Amana* denotatur potestas eripiendi à necessitatibus; Amana enim juxta S. Hieron: interpretatur comprimens, vel coangustatio. 2*do* per caput *Sanir* intelligitur gratiæ & gloriæ justis dandæ potestas; Sanir enim, secundùm S. Hieron: Deus luminis interpretatur, quod distribuit justis per dona gratiæ & gloriæ: quam quidem potestatem quantùm habeat MARIA, intellige ex S. Bernardino serm: 52. a. 1. c. 2. dicente: *A tempore, quo concepit Deum in utero suo, quandam ut sic dicam jurisdictionem, seu autoritatem*

ha-

habet in omni temporali missione Spiritûs Sancti, ita quod nulla creatura aliquam à Deo recepit gratiam, nisi secundum dispensationem ipsius Virginis Matris: cùm enim Christus sit caput nostrum, à quo omnis influxus Divinæ gratiæ in mysticum corpus fluit, B. V. est collum, per quod hic influxus pertransit ad corporis membra, unde Bernardus: nulla gratia venit de cælo in terram, nisi transeat per manus MARIÆ. 3*tiò* per caput *Hermon* intelligitur potestas peccatoribus subveniendi, Hermon enim juxta eundem S. Hieron: anathema mæroris interpretatur, quem profectò mærorem unà cum anathemate æternali tollit, quoties veniam impetrat peccatoribus. 4*tò* per *cubilia leonum* intelligitur potestas eripiendi desperatos è faucibus leonis, qui circuit quærens quem devoret. Deniq; per *montes pardorum* intelligitur potestas è varietate errorum eripiendi, qui errores per varietatem pellis pardorum denotantur: Fecit ergo Deus cum Virgine, quod cum Esther Assverus, Esth: 2. *adamavit eam Rex plùs quàm omnes mulieres, habuitq; gratiam & misericordiam coram eo, & posuit diadema regni super caput ejus.*

5*to.* Coronam B. V. dices esse Sanctos omnes & Angelos Dei, ferè sicut Cicero *in Verrem* Proceres Romanos suam dixit esse co-

coronam; ornant eam omnes ut famuli Dominam & Reginam, suamq; gloriam ei perlibenter consecrant.

6to Corona Virginis est ipsa Virgo pretiosissima, decus ejus frustra alibi quæris, majus inter creaturas ipsa Virgine decus non invenies, & si aliis eam ornamentis coronare volueris, ipsorum ornamentorum ornamentum corona est MARIA, ferè quod Sen: ep: 81. ait quomodo *rectè facti, fecisse, merces est*, & præmium virtutis ipsa virtus est.

7mo. Corona Virginis eadem est, quæ est corona Patris æterni: Corona Patris Filius sapiens, imò ipsa Sapientia Dei est, secundùm quod ait Synesius, hymno 1. *supersubstantialis fons coronatur pulchritudine prolis.* Corona Matris idemmet Filius Dei est, qualiter loquitur S. Amadæus hom: 6. de laud: Virg: *Corona*, inquiens, *Virginis Christus est.* Speciosus in hac Pater corona, in qua gloriam suam omnem habet, quamq; alteri se non daturum promittit ore Isaiæ; speciosa Mater in hac corona, quamq; soli illi Pater dare ab æterno decrevit, ut advertit Richardus à S. Laur: lib: 4. de laud: Virg: inquiens, Patrem æternum dicere: *Gloriam meam, hoc est Filium meum, alteri non dabo, quàm MARIÆ, quia soli MARIÆ hoc privilegium debebatur.* Hæc est illa corona, quâ Fili-

us Dei ipſe coronatur, & in Filio Mater, nam *Filii gloriam*, loquor cum Arnoldo Carnot: tract: de laud: Virg: *cum Matre non tam communem dico, quàm eandem.* Hæc eſt illa corona, quâ tota Trinitas coronatur, quâ Trinitas tota coronat MARIAM. Verè MARIA magnificentia tua in diademate capitis tui ſculpta eſt, propeq́; hodie tecum facit Filius, quod obſervat Gverricus Abbas: ſerm: 2. de Aſſumpt: *Communicâſti mihi, quòd homo ſum, communicabo tibi, quòd Deus ſum.*

Et hac in corona coronidem diſcurſuum pono, amator Marianus plura inveniet excolendæ Virgini, & cùm longè plurima invenerit, plura intacta relinquet, quibus inveniendis amor occupetur.

CAPUT 3tium.

Filius MARIÆ amet Matrem ſuam re.

ULtimum, quod in amore Filii Mariani volo eſt, ut realis ſit, id eſt, ut cordi & ori conſonet vita & operatio ejus. Euthymius præf: in ps: *ſapientiam nihil aliud eſſe*, ait

it, *quàm harmoniam quandam dictorum & factorum*: & S. Ignatius M. *ep: ad Philadelph*: laudat quendam ſapientem Epiſcopum, quod aptârit ſe, & compoſuerit ad mandata, & juſtificationes ut chorda ad citharam. Ejuſmodi muſicum agit amor Marianus, ſi pleno, ut ajunt choro, benedicere vult MARIAM, hic exteriorem hominem ita conſpirare faciet interiori, ut alia poſt aliam ſuccedente virtute, quaſi alternante in muſica voce illum edat concentũ, qui Deum lætificet, & MARIAM. S. Aug: *in ps: 34. c. 8.* modum jugiter laudandi Deũ dat: *Suggero remedium, unde totâ vitâ laudes Deum, quidquid egeris bene age, & laudâſti Deum*: plùs ego ab amatore Mariano exigo: nam id hìc ago, ut præſuppoſitâ laude vitæ inculpatæ, non bene tantùm, ſed optimè agens excitetur ad ſpecialia facta, & heroicos auſus amoris; nec enim eum amare judico, qui duntaxat communi modo amandi contentus eſt, habetq; inſuper ea, quibus in amando alios excedat: verus amator agit, quod Cyro flenti Abdaratam amicum in bello cæſum dictum fuit ab uxore occiſi: *cogitabat quantis editis facinoribus tibi gratificaretur*, ut refert Xenophon in inſtitutione Cyri: lib: 6. pag: 146. verùs inquam amator cogitat jugiter, quantis editis facinoribus gratificetur ei, quem diligit anima ejus, nobiliusq; aliud

poſt

poſt nobile ponit opus, quod priori operi, ut annulus aureus aureæ catenæ inſeratur. Et hoc eſt, quod intelligunt ſapientes, dum volunt *amorem vivere exceſſibus*, per quos exceſſus quid vetat intelligi illos actus, quorum poſteriores excedunt eos, qui præceſſerunt, quiq; veniunt nomine aſcentionum illarum, quas in corde ſuo diſponit ſedulus & verus amator: hic enim talis novos ſemper modos amandi excogitat, quibus in dies creſcit, & augetur, dum in plenum & perfectum evadat amatorem, qui toto ſe adhæreat amato.

Ioan: 21. Petrus quæritur an Chriſtum diligat; annuenti dicitur: paſce oves meas: quæ verba ponderans S. Aug: in hunc locum, ait: *Interrogatur amor, & imperatur labor* ut hinc diſcas non eſſe amorem mancum & otioſum, ſed ad opus ſe extendere, quamvis difficultas oneris, ut vult Bern: ſublimitate amoris non ſolùm minuatur, ſed pænitus relevetur, fiatq; quod ibidem Aug: habet, *ut ubi amor eſt, non ſit labor*, aut ut idem loquitur ſerm: 24. de verbis Apoſt: ut hæc *ſarcina non ſit pondus onerati, ſed ala volaturi.* Ita ſe res habet in amore Mariano: amor interrogatur, & imperatur labor; flos quæritur, & ſequitur fructus; verba præcedunt, & cogitata, ut facta ſequantur: flos caducus eſt, & ad pauca utilis, niſi fructus ſequatur; & amor verba-

lis parùm prodest, nisi quod sonant verba, probent opera. Bona sunt verba illa amantium *IESVS & MARIA mei dulcissimi amores, patiar ego, moriar ego, amore vestri totus sum vester, nullus meus*: quod erat ejaculatorium magni illius servi Dei è Soc: IESU Alphonsi Rodriquez: ut refert Bourghesius in Soc: IESU B. V. Sacra c. 10 bona sunt verba illa: Omni die dic MARIÆ, mea laudes anima; Item illa S. Birgittæ: revel: extrav: c. 63. *Sic amo te MARIA, ut mallem me Birgittam nunquam natam, imò damnatam, quàm ut MARIA Filia Ioachim non fuerit Mater Dei*: bona sunt sexcenta hujusmodi, quibus tamen si opus accesserit, næ ego asseveraverim, quòd corpori excellenti nobilior accedat anima, & verbis ex se bonis, res melior longè: secùs, si nuda verba videro, nuditas amorem pudefaciet, ipseq; amor mendacii arguetur, politico promittens ore multa, quæ opere non exhibet: quod innuit S. Prosper, dum ait: *Bene loqui, & malè vivere, non est aliud, quàm se sua voce damnare.*

Anatomici & inter eos Ioannes Valner *quodlibeto* 6. habent, quòd in homine sinister ramus grandis arteriæ è corde ad sinistrum brachium producitur, ut dictante ipsâ naturâ intelligi possit amorem, si verus est, cum corde manus jungere debere: è motu & pulsu manuum

nuum cognoſcetur ardor charitatis in corde reſidens; è manu cognoſceris, quàm intra ſis ſanus, ferè ſicut nuper hiſpidus Eſau, & dilectus Matri ſuæ Iacob attactu manuum cognoſci poterat. Quod fortè intellexit ſponſus *Cant:* 8. cùm adornans ſponſam voluit ſe poni non ſolùm ut ſignaculum ſuper cor, ſed etiam ut ſignaculum ſuper brachium, quia ut explicat Bern: *in ſancta anima quantum ab ea diligatur, & voluntate & actione deſignatur.*

Chyromantæ *apud Bignoni conc: fer:* 6. *poſt Cineres*, ajunt ſemper eſſe omen bonæ fortunæ, ſi ſtella delineata ſuper manum ſit profunda & munda: cum his equidem nolim poni portionem meam, ſi tamen mihi amor quærendus eſt, manus inſpiciam, & agnoſcam illum fortunatiſſimum amatorem, qui ſtellam in manu, id eſt MARIAM in opere ſuo circumfert.

Rom: 1. Deum ex operibus cognoſci ait Apoſtolus: *Inviſibilia*, inquiens, *Dei à creatura mundi per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur, ſempiterna quoq; ejus virtus & Divinitas*; ita planè inviſibilia amoris per ea quæ facit magnalia conſpici poſſunt, ut à magnitudine operum cognoſcibiliter poſſit creator horum amor videri. Non capis hoc: ipſum Deum qui charitas, & exemplum eſt amandi, intuere; amat ille ſe, & ex amore ſui ope-

operatur usquemodo non ad intrà solùm, sed etiam ad extrà, quia ut loquitur S. Thom: 2. 2. *q.* 32. *a.* 3. ex vehementi bonitatis, quæ sterilis esse non potest, inclinatione, per opera ad extrà creaturarum thesauros ad gloriæ suæ decus effundit. Amavit MARIAM, & assequi non potes, quàm magna fecit ei, qui potens est; amat te, & usquemodo operatur in te magnalia sua jugiter Omnipotentiam Divinam, & voluntatem suam applicando ad gratias tibi dandas, ad conservationem tui, ac tuum melius esse. Imitare hoc aureum exemplum amoris amator MARIÆ, ac siquidem verè amas, quidquid potest manus tua, instanter operare, *nec enim*, ut bene Gregorius, hom: 3. in Evang: *unquam amor otiosus est, operatur magna si est, si verò operari renuit, amor non est:* dilige non verbo neq; lingva, sed opere & veritate; imò dilige & verbo, & lingva, & opere, & veritate, quia opere, ideo veritate: re ipsa amorem proba, ne alioquin in te cadat illud: ps: 77. *Et dilexerunt eam in ore suo, & lingvâ sua mentiti sunt ei, cor autem eorum non erat rectum cum ea.* Quo quidem in reali amore ut exercitatior esse possis actus hic aliquos ferventium amatorum MARIÆ adjicio, quibus quidem consultò certos numeros præpono, ut identidem sortiare, quem actum ea die elicere

possis

possis, quali modo alias legi dispositos certos virtutum actus pro faciliori exercitio eorum, qui in iis se se exercere voluerint: quod quidem priusquam facio, velim ut in iis singulariter, sæpiusq; te exerceas, in quibus tui ipsius victoria major est, tales enim actus verè sunt aurei & heroici amoris, ac nimium quantùm demonstrant sinceritatem amoris.

Tabula, è qua, sorte depromi poterunt pia opera præstanda ex amore B. V.

8	10	48	7	11	27	5	19	40	29
35	2	45	18	50	4	15	22	39	41
21	38	42	3	1	12	6	25	31	49
30	9	20	34	13	47	16	23	37	43
17	28	33	49	24	44	14	26	36	32

1. S. Henricus Suso audito semel Angelorum concentu ante auroram canentium: Stella MARIA maris hodie processit ad ortum; frequens imposterum in eo erat, ut solem præveniret laudibus Marianis decantandis, *ut habet ejus vita*. De Anna autem à IESU Carmelitana, S. Theresiæ socia habetur, *apud Manri in vita*, quòd quoties noctu evigilârit, toties è strato humi provoluta Ave MARIA recitârit. Fecerunt hoc alii, qui singulis noctibus laudes dixêre Virgini, ex-

experti uberiorem fructum à Virgine, quàm Numa ille Pompilius, qui teste Val: Max: *lib:* 1. *c.* 2. *n.* 4. dicebat se noctu à Dea Ægeria consilia capere, ac ejus monitu accepta sacra instituere. Faxisne tu hodie idem, ac horulam noctis dones orandæ B. V? credo: si altâ mente sedet illud ex Menæis Græcorum: 4. Ian: *Ad te noctes, diesque clamabo, & hac ratione salvabor.*

2. S. Elizabeth Ungariæ Regina adhuc puellula decimam quamq; portiunculam lucelli, quod sibi ex lusu proveniebat, pauperibus dabat, rogans ab iis unum Ave MARIA. *Testatur Vadingus tom:* 1. *annal: anno* 1214. Bene luditur, ubi MARIA lucrum facit; tibi tamen, ut per lusum lucrum facias Virgini, non svadeo; melius facies, si de tuo penu granulum, de mensa micam, de divitiis obolum laudandæ à pauperibus Virgini impenderis.

3. S. Carolus Borromæus ad signum Salutationis Angelicæ, dum iter faceret, Virginem adoraturus equo desilire consuevit, terræ lutulentæ defigens genua, ut testatur *ejus vita.* Hoc eodem signo audito Ioannes Ximenius è Soc: IESU, dum per declivem pontem ligneum ingens saxum quadratum volveret, cùm de more Virginem salutaret, moles illa saxea in angulo locata, quantumvis naturaliter in præceps ruere debebat, stetit in aëre su-

ſuſpenſa, dum preces finirentur, *teſtis eſt Ludov: de Ponte in vita Balth: Alvarez.* Hoc illud ſignum eſt à Ioanne XXII. Pontifice dari mandatum, ut eo Chriſtiani moniti Deiparam per orbem ſalutarent, univerſi, *quod teſtatur Polid: lib: 6. de invent: rerum c.* 12. Punctualem te in hac devotione, ut & in alia, cùm hora reſonat, volo, ſi amas.

4. B. Ioannes Ord: S. Bened: ex magna Regum Galliæ domo oriundus, cùm inadvertenter equo prætervectus eſſet imaginem quandam B. V, eandemq́; poſtliminio obſervâſſet, facti pænitens, viamq́; relegens, provolvitur in genua petiturus veniam; quod quidem officii genus ita probavit Dei Mater, ut aliò averſa facies imaginis ſe ad Ioannem ſuum converterit. *Menolog: Benedict:* Idem tu fac habens ob oculos illud S. Bonav:

Virginis intactæ dum veneris ante figurã,
Prætereundo cave, ne ſileatur Ave.

5. S. Radegundis Regina conjunx Clotharii Regis Galliarum præter Marianam Quadrageſimam jejunatam, ſingulis Sabbathis abluebat leproſũm ſuis ipſa manibus, & egenis ipſa menſæ miniſtrabat. *Sur: in vita* Probavit hæc ſuo ipſius exemplo, quod de ſe dicere ſolebat Claudius Iajus noſter, unus è Sociis Sancti mei Ignatii: magis ſibi olere ulcera & auram xenodochii, quàm balſamum aulæ. Tan-

ta non audes? saltem speciale aliquod pietatis obsequium hodie fac impendas ægro mendico, sciasq; quòd sicut olim visitantium ægram S. Lidvinam Angeli gressus numerabant, *ut habet Thom: á Kemp: vitæ S. Lidvinæ c. 8. n. 3.* sic minutissima obsequia amore Deiparæ facta ægris ipsa advocata infirmorum annotabit præmianda.

6. Ioannes Cletelius è divite mercatore pauper Religiosus, singulis Sabbathis induebat longum linteum pro felici morte, eoq; apparatu totam illam diem in obsequio culinæ celebrabat. Ante mortem à Christo visitatus petiît sepeliri in suo illo linteo sabbathino, quod & obtinuit teste Kempisio *lib: de ill· fr: discipl:* Sabbathum dies Sacra Deiparæ est; decet ut speciali aliquo & constanti actu eam honores: quid tu hactenus hac die fecisti honori B. V? quid facies imposterum? ut impleas illud: Memento diem Sabbathi sanctifices.

7. Isabella Clara Eugenia *ut testantur Heroides Mar: pag:* 236. quot annis in supplicatione, qua per æstatem B. V. statua ex templo Sabulonensi circumferebatur, instituit, ut duodecim selectissimæ Virgines cereos manibus gestantes, & albis indutæ, eam cohonestarent, quibus biennio hoc Mariano obsequio perfunctis dos aliquot centenorum florenorum Brabanticorum dabatur ab eadem Prin-

cipe

cipe ſtatui intra annum eligendo. Hoc genus obſequii familiare erat Alexandro Peretto Card: Montaldo, *apud P. Rho lib: 3. c. 3. n.* 21. nam nullam Deiparæ ſacram diem abire patiebatur, quâ non liberali manu dotatam aliquam Virginem honeſto in matrimonio collocaret, ratus gratiſſimum MARIÆ accidere, ſi teneræ illæ ætates tuto in pudicitiæ portu aureis anchoris retinerentur. Hoc item Cardinali Turrecremata, qui in hunc finem Congregationem D. Virgini ſacram inſtituit, quæ id curaret permagno omnium ejuſmodi hominum bono, *ut legitur de eo lib: cui tit: Excellentia Matris miſericordiæ, fol:* 163. Hoc deniq; pluribus aliis, ac noviſſimè P. Thomæ Ujeyſki ex Epiſcopo Kijovienſi & Senatore regni Poloniæ pauperi Ieſuitæ, cujus gratiam adhuc viventes quâ in religioſis Ordinibus, quà in ſtatu conjugali plures dotatæ deprædicant. Tu ſi tanti non es, ſupple conſiliis, ſupple precibus, fac quæ potes.

8. Eremita montis Oliveti propria in cellula venerari ſolitus iconem Deiparæ, impuris à dæmone phantaſmatis petitur, adeo ut dicere coactus fuerit, ſaltem moram moriendi ſibi concedi debere, ſubjungente dæmone, Faxim id libens, ſi tamen, quam veneraris Iconem è cubiculo tuo exeſſe jubeas. *Refert hoc Barry anno S. die* 24. *Ian:* Vetus colendi ritus

est colere in imagine, quem in propria personâ colere non possis; honor quippe exhibitus imagini redundat in prototypum. Et hic modus colendi Deiparam frequentissimus juxtà ac utilissimus est: alii quippe domi suæ illam venerantur ex monito Landsbergii, qui Tyroni Carthusiano hoc suaserat: epist: 26. *Charissime*, inquit, *Fili, hortor, moneoq; te quàm possum studiosiùs, ut imaginem B. M. juxta cellam, sive in cella tua nunquam sine reverentia prætereas: saluta eam, cujus est imago, & dic: Salve dulcis & formosa, Mater Dei gloriosa, adopta me in filiū.* Alii domi suæ conversi ad templum, in quo colitur imago B. V, eam venerantur, exemplo B. Stanislai Kostka è cubiculo suo Romæ conversi ad S. MARIAM Majorem. Alii pro sigillo suo utuntur imagine B. V. exemplo S. Philippi Nerii; alii manu gestant, exemplo S. Hedvigis Ducissæ Poloniæ, quæ etiam à morte eam non dimisit: osculis alii & genu-flexionibus, alii floribus aliisq; pietatis insignibus ornant: quibus accensere potes magnum illum Deiparæ amatorem P. Ioannem Trexum è Soc: IESU, de quo Nirembergius *de amore B. V. cap:* 10. quòd pedes ad quoddam sacellum B. V. procul positum itabat, ac pavimentum non aliâ aquâ aspergebat, quàm illâ, quam proprii fundebant oculi; tum sordes everrebat non aliis scopis, quàm

quàm fuomet ore, ac vultu millies interim, milliesq; solum exosculando. Tu aliquod obsequii genus hodie B. V. iconi exhibe memor illius, quod habetur in hortulo Mariano, *P. Fr. delaCroix areola* 1. *cap*: 4. ubi docetur, quòd *primò curandum est cultori Parthenio, ut in oratorio suo, vel in alio loco nitido, ornato, maximè conspicuo B. V. imaginem reverenter deponat.*

9. S. Gerardus Apostolus Ungariæ nihil unquam negavit, quod petebatur in nomine MARIÆ: quod ipsum fecit Alexander Alensis Professor S. Thomæ, qui cùm in nomine B. V. rogaretur, ut ordinem S. Francisci ingrederetur, consternatus quidem ea petitione, tamen ordinem ingressus est, ac in tam ingens in eo lumen ordinis evasit. Si hodie & tu rogareris in nomine MARIÆ aliqua, credo faceres; daresq; si licèt tibi tam chara essent, quàm dimidium cordis tui: Si tamen non rogabêre aliunde, ego in nomine MARIÆ te rogo, ut à vitio, cui maximè assvevisti, abstineas hac præsertim die: in quo si me audiêris, audeo tibi promittere, quod illi factum est adolescenti, *de quo Chesne in descript: urbium Galliæ*, qui cùm Pictavii in Gallia ancillam opprimere vellet, ubì rescivit nomen ejus esse MARIA, vicit se, & intactam dimisit, ob quem actum evasit postea castitatis, ac reliqua-

rum

rum virtutum exemplar, ædificato in rei memoriam eo loci templo sacro B. V: Aut illi: de quo Vinc: Belluacensis, *in spec: hist: lib:* 7. c. 102. & 103. qui cùm in Nortmanniam pergeret pro ludis equestribus, ac à parente quopiam exponi sibi filiam in libidinem, adacto paupertate, obtinuisset, cùm hæc per nomen MARIA, quo in Baptismo donata erat, & ob reverentiam diei Sabbathi peteret, ut sibi parceret, vicit se amore B. V, ac à libidine temperavit, ductâ insuper ad cænobium Virgine, ac dotata: propter quem actum revelatum est, eum esse in via salutis, cùm die postero occisus esset in ludis equestribus.

10. Plurimorum devotio est visitare loca dicata B. V: pro quo adducere exempla supervacaneum est, cùm quotidiana sint. Tu imitari potes quendam, qui identidem septies in diem adîit aram Deiparæ repræsentans animo septem itinera B. V, in prima visitatione contemplabatur iter B. V. ad cognatam Elizabeth: in secunda, iter in Bethleem, ut Christum pareret: in tertia, iter in Jerusalem, ut purificaretur, vel Christum amissum quæreret: in quarta, iter, quo Christum prædicantem sequebatur: in quinta, quo sequebatur bajulantem crucem: in sexta, quo invisebat loca sacra post Ascensionem Christi: in septima, quo in cælum assumpta est.

11. In Lusitania sodalitium est misericordiæ, quod à mensa circinnata, cui Sodales consulturi de re aliqua assident, dicitur Sodalitas mensæ. In hoc sodalitio festo Visitationis B. V. eliguntur duodecim Sodales ad misericordiæ munia toto anno obeunda; sex ex nobilitate; sex ex plebe: Reges ipsi non raro præsidere volebant tam Sancto sodalitio, quod in omnia misericordiæ opera vigilem habet oculum. Annonæ caritate distribuunt mendicos alendos ditioribus, & cœnobiis &c. Autrix ejus fuit Eleonora Lusitaniæ Regina, Emmanuelis primi uxor, anno 1598. *Autor est Vasconcellus in descript: Lusit:* Latus tibi hodie campus bene agendi aperitur, in quo spatieris per omnia misericordiæ opera, credo nusquam magis practicare potes ea, quæ tibi propono, nam si in uno difficultas fuerit, certè aliud opus efficere poteris; deniq; si omnino id agere nequis, quod omnino impossibile est, saltem loquendo de spiritualibus operibus misericordiæ, age quod monet Augustinus: in ps: 13. *Si potes dare, da: si non potes, affabilem te fac.*

12 Novemdiali devotione plurimi B. V. venerantur, venerantesq; præsentissimum auxilium Deiparæ impetrant, è quorum numero censendus est P. Franciscus Marquez, qui statum vitæ electurus, per novem dies extra Ma-

lacam

lacam ad B. V. Iconem, quæ inibi Dux dicitur, adiit, deductusq; est ab ea in Soc: IESU, in qua post egregios labores, per novem dies tormenta perpessus, in odium fidei, gladio cæsus est Nangazachi, anno 1643, 25. Martii die Virgini Annunciatæ sacro, *ut habet Nadasi in anno dierum illustrium* 25. *Martii*. Optimè feceris, si dies hos variis actibus singulos distinxeris.

13. Est inter plures etiam magnæ notæ homines frequens devotio in Polonia, quam vocant Iejunium septem annorum; hoc instituitur in pane & aqua ea die per septennium, hebdomadatim, in quam illo anno incidit festum assumptæ Virginis, tum ob felicem mortem impetrandam, tum ob alia dona & beneficia, mirèq; deprædicatur ab expertis bona ejus. *Iejunium non perfectam modò virtutem, sed cæterarum virtutum fundamentum esse*, docet Hieronymus, *epist: ad Demetr:* hoc exemplo Sanctorum, ita cole Virginem, ut memineris, quòd idem monet ibidem. *Abstinentia tua, atq; jejunium tuum eò magis Deo grata sunt, quò cum moribus sanctis offeruntur*. Et Bernardus ad sororem inquiens: quòd *melior sit abstinentia vitiorum, quàm ciborum*.

14. S. Henricus Imperator si quando urbem aliquam peregrinus ingrederetur, pri-

mam noctem in illa æde consumebat orans, quæ sacra erat B. V. ut testatur Canisius, *de Deipara lib:* 5. *c.* 28. Operæ pretium feceris & tu, si horulæ partem somno tuo subtraxeris, eamq́; pangendis Deiparæ laudibus consecraveris, saltem eam, quam aliàs insomnem ducere consuevisti ob fabulas, & amicitias tuas.

15. Salazar, *in c.* 9. *prov: n.* 144. *Maraccius in fundat: Mar: pag:* 296, aliiq́; ajunt S. P. N. Ignatium incredibili voluptate perfundi solitum inter sacrificandum, cùm illa Augustini *ex tom:* 8. *in ps:* 98. verba ruminaret: *De carne MARIÆ Christus carnem accepit, & in ipsa carne hîc ambulavit, & ipsam carnem nobis manducandum dedit.* Convivari te hodie post labores volo, non operari, idq́; cibo qui tibi unicè arridere debet tanquam tibi proprio; bene enim Eucharistia dici potest Panis filiorum MARIÆ, hunc illi tum aliàs, tum præsertim in festis gloriosæ Matris suæ in circuitu mensæ Domini manducant: hoc utere cibo, sed exemplo S. Ignatii, sumens in eo reliquias carnis Marianæ, *hoc* enim ait Liturgia Æthiopica S. Iacobi, apud Velasquez de concept: pag: 312. *corpus, & hic sanguis Domini & Salvatoris nostri IESV Christi, quod, & quem assumpsit ex Domina nostra Sancta & immaculata Virgine MARIA:* aut ut Richardus à S.

Laur: lib: 2. de laud: B. V. habet. *Caro Virginalis est, quam sumimus in Sacramento Filii, quia caro Christi, & caro MARIÆ, una caro.*

16 B. Maria Oegniacensis intra diei & noctis spatium aliquando millies, & ultrà genuflexa salutabat Deiparam, idq; ita constanter, ut officium istud salutationis ad quadraginta dies continuârit, ut refert Surius in vita 23. *Iunii*, & habes suprà: quo in genere pariter exercitatus erat S. Albertus religiosus ex cœnobio S. Crispini, nam de die centies non rarò projectus in terram consvetum suum Ave MARIA persolvebat Deiparæ. Tu pariter MARIAM flexo poplite cole, ita, ut ad singulas vices actum hyperduliæ elicias.

17. In agro Piceno jussu Pontificis seliguntur, & aluntur duodecim infantes, quorum obligatio est, ut in domo Lauretana B. V. singulis diebus per horas laudent Deiparam, petantq; auxilium adversus infideles: quem morem familiarem etiam habuit famula Dei Hyacintha Marescotta ex Ord: S. Francisci, nam ut refert Barry noster, *in anno Mar:* 31. *Ian:* cùm aliquid à B. V. impetrare vellet, mittebat aliquot puellas ad templum ad orandam Deiparam, et, si ætas ferret, ad sumendam Eucharistiam. Ex ore infantium perfici laudem MARIÆ tunc probaveris, si plures

ejus-

ejuſmodi ad laudandam eam adduxeris.

18. Catharina Herreria ex tertio Ordine S. Dominici, apud gubernatores Toletanæ urbis inſtitit, & impetravit, ut diebus feſtis Deiparæ clauderentur lupanaria, ne is dies, qui Virgini Virginum ſacer eſt, impudicitiis contaminaretur. *Ex hiſt: Ord: Præd:* Gratam B. V. rem feceris, ſi peccatorem à viis ſuis peſſimis reduxeris, aut ab iis impediêris, nec enim magìs laudari poteſt, quàm ſi plurimi ſalvi fiant, ſicut nec Filius ejus nobilius habere poteſt ſacrificium ſalute animarum.

19. S. Nicolaus Epiſcopus Myrenſis in Nycæno Concilio præſentibus trecentis decem & octo Epiſcopis cuidam Ariano Maſtygi intemeratæ Virginis, ejusq; honoris impio violatori alapam inflixit; quæ quidem res initio diſplicuit adeo Patribus, ut eum honore mitræ privârint, ſed paulò pòſt ope Deiparæ, quæ illi comparens pro zelo gratias egit, priſtino honori non ſine plurima laude reſtitutus eſt. *Lipoman: in vita.* Vulgò dicitur: Qui non zelat, non amat, quod magìs verum eſt, ſi audis lædi honorem amati, & taces: nam amoris ignis latere nequit ſub cinere, cùm excitatior venti alicujus inimicitia eum ſufflat. Amator MARIÆ in praxim redigit, quod in formula dedicatoria Sodales appromittunt, dum inquiunt, ſe non permiſſuros, ut aliquid contra honorem Virginis agatur. 20

20. Frequens fidelium devotio est, corda argentea & aurea in anathema appendere aræ Dei Matris; sic quippe, ut reliquos taceam, Ludovicus V. Galliarum, cùm comitatum Bononiensem cum oppido Virgini consecrâsset, donâssetq́; , cor eidem obtulit ex puro auro ponderis bis mille aureorum, perpetuaq́; lege sanxit, ut idem facerent omnes ejus successores, appenso simili corde ad aram Bononiensem miraculis celebrem. *Calend: B. V.* 30. *Aug:* Cor aureum offerre fors non poteris, majus auro placebit B. V. cor tuum, si ei illud charitatis & innocentiæ ornamentis decoratum obtuleris.

21. Rupertus Abbas *lib. 7. de Div: offic: c.* 25. habet, quòd ex mandato S. Benedicti in quovis Ordinis monasterio sacellum sit cæli Reginæ sacrum, in quo prima statio est in ea supplicatione, quam Dominico die obire solent. Tu conclave aliquod tuum, ut locum aliquem illius, consecra honori B. V. in quo supplices ad Dominam tuam manus tendas, & exaudiaris in abscondito.

22. P. Thomas Sail[illegible]s nunquam è cubiculo pedem extulit, quin B. V. ad oratorium suum salutaret, & ab ea sibi benedici postularet, ut de eo habet Barry *in anno Mariano* 8. *Martii. Calend: Mar:* Idem faciunt hodie-dum longè plurimi filii MARIÆ, majo-

re

re ob hoc laude digni, quàm filii Sinensium, qui nulli se rei accingunt, priusquam eis parentes benedixerint: Et certè benedictio Matris firmet domos filiorum necesse est, & perpetuam hæreditent felicitatem, quibus benedicit MARIA. Ego quidem nullus dubito, quin à bono IESU auditurus est omnis illud: Venite benedicti Patris mei, qui dum vivit, benedictus est Matris IESU.

23. Ioannes Patricius Romanus cùm prole careret, hæredem voluit esse Deiparam, quod quam gratum fuerit D. Virgini, testatum fecit miraculo nivis canicularibus æstibus Romæ è cælo delapsæ, in signum templi à Ioanne extruendi. *Brev: Rom: 5. Aug:* Hæreditatem soli ei tuam vel dare non audes, quam habes; vel non habes, quam des: id saltem faxis, ut portiunculam quantumvis levem bonorum tuorum temporalium honori ejus offeras: nusquam melius eam impendere poteris, quàm si ei dederis, quæ est liberalitas nostra, aut ut loquitur D. Athanasius *serm: in Evang: de SS. Deipara. Retributrix magnorum donorum pro exiguis, ex divitiis suarum gratiarum.*

24. Franciscus Perez Godoius, is qui postea unà cum P. Ignatio Azebedio in odium fidei martyrio affectus est, cùm tyro adhuc Societatis esset, summa accuratione omnia age-

bat

bat; miranti & percontanti cuipiam, cur tantam diligentiam navaret ita ſplendidè mundandis culinæ vaſis, quæ tamen ſciret brevi iterum fædanda? reſpondit: In more ſibi eſſe quotidie Divinæ Matri Virgini Dominæ ſuæ offerre, quidquid per totius diei ſingulas horas egiſſet; ideoq; puderet me, ajebat, Dei Matri aliquid non uſquequaq; mundum offerre. *In vita.* Quod facis honori Virginis, fac accuratè, Mater Iudicis juſtitias judicaturi, quæ diligenti de manu veniunt, obviis ulnis excipit, quæ verò pigra ſunt, tranſit non reſpecta.

25. Novi plures privatorum domos ex diverſis ſtatibus, in quarum aliis quotidie, in aliis autem ſingulis Sabbathis accenduntur candelæ ante quampiam B. V. iconem, convocatâ totâ familiâ ad dicendas Litanias Lauretanas, aliasq; preces: qua quidem pietate id imprimis obtenturi videntur, ut facem iis præferat in tenebris mortis ſole lucidior Virgo, ne ab æterna caligine conſumantur. Ex eorum numero fuit paupercula illa, quæ ante aram Virginis dictam de Dalacha Catanæ in Sicilia lampadem alebat, merita ob hoc, uno propè momento transferri Divinitùs filium è captivitate, ſibiq; reddi, ut erat ſerviens Baſſæ Conſtantinopoli, manu una poculum aureum, aliâ urceum tenens: Cujus matris non deterior matre filia cùm devotionem illâ demortuâ continuaret

ret, matrimonio nobili viro mirabiliter jungitur, qui votum fecerat, instinctu Divino, ad prædictam imaginem, de qua aliàs nunquam audierat, peregrinandi, sibiq; jungendi uxorem nullius dotis, si mortem, ob quam ob rationes fisci dilapidatas, adjudicandus erat, evaderet. Gumppenberg *in Atlante Mar: imag*: 780. Lumine accenso si vis venerari MARIAM, fac illo prius ardeat cor tuum, quod ob puritatem & incorruptionem æmulum est luminis Divini & Mariani.

26. Parum facit, qui tantùm illicita non facit; etiam iis sæpe, quæ licent, abstinere expedit. Amator Marianus abstinentiam ejusmodi quotidie sibi indicit in omnibus actionibus suis quærens talia, quibus mortificare possit sensualitatem suam, etiam in iis, quæ alioquin sine peccato facere posset. Exempla huc addere supervaneum est, cùm quotidiana sint: tu duntaxat hæc exempla sequere, ut consequaris quod B. V. dixit S. Elizabethæ Filiæ Regis Ungariæ, docens Divinorum donorum affluentiam *orantibus, & carnem suam affligentibus aperiri. Apud S. Bonav: c.* 3. *medit: vit: Christi.*

27. Abely *pag*: 340. refert, quòd in Ordine S. Benedicti quotannis 28. Octobris recolatur memoria omnium obsequiorum, quæ à suis religiosis B. V. sunt præstita, & eorum San-

Sanctorum, qui singulariter B. V. fuerunt devoti: vigesimâ verò nonâ Maii gratias agit idem S. Ordo pro miraculis B. V. pro bono Ordinis factis. Idemne te facere decet pro donis & datis tibi, tuisq; à Virgine? certè nisi indignum ulterioribus te fieri velis, idem facies. Sanctis etiam, qui peculiari pietate pertinent ad Virginem inclinare, inter quorum numerum primas de jure vendicat Sanctissimus Sponsus ejus IOSEPHUS, quo sicut nullus Virgini fuit acceptior, sic tibi nullus sit charior.

28. S. Franciscus Borgias quoties Evchaiistiam visitabat, certum numerum actuum eliciendorum ad gloriam Dei per decursum diei sibi præfigebat v. g. centum actus amoris Divini, centum humiliationes &c. Sacchinus *hist: Soc: part:* 3. Præclarum certè brevi assequendæ perfectionis adjumentum habet is, cui hoc exercitium transiit in habitum. Tu toties id hodie practicabis, quoties oratorium tuum, vel locum in quo colis iconem Deiparæ visitaveris.

29 Carthusiani gravibus pressi afflictionibus docti sunt ab Angelo Missam siccam dicere de B. V. si liberari vellent à tentationibus, quibus infestantur, dicunt eandem usq; in hanc diem post dictam primam, ac tertiam. Chron: Ord: *lib:* 5. *c.* 9. Aliàs Missa de B. V. cumprimis arridet cultoribus Marianis, multumq;

tumq́; ſalutaris eſt vivis juxtà ac defunctis: ſic quippe Ulpho maritus S. Birgittæ D. Virginis perquam ſtudioſus à morte uxori apparens petit, toto anno in dies ſingulos ſacrificia Miſſæ de Deipara offerri: *Revel: extravag: cap:* 56. ſic alii ſuis in neceſſitatibus illam velut unicum mali remedium arripiunt, experiunturq́; non rarò ingentia beneficia. Tu ſi Sacerdos non es, nec ſiccam dicere potes Miſſam, utiq́; (ut ſic loquar) ſiccè, ſeu ſpiritualiter communicare potes; qui quidem mos communicandi ſolo deſiderio perquam ſanctis familiaris eſt, & multorum bonorum ferax: potes utiq́; exemplo S. Thomæ Aquinatis aſſiſtentis poſt dictum ſacrum ſuum alteri, adeſſe Miſſis de illa dici ſolitis.

30. De P. Martino de Alberro è Soc: IESU in paucis dilecto Virginis ſervo habet Nirembergius, *de amore B. V. c.* 22. quòd cùm occuparetur in ſordibus per totam domum colligendis & everrendis, aſpiciendam ſe præbuerit Dei Mater ipſi, laudans occupatum in ejuſmodi officiis: addunt alii verba Virginis fuiſſe hæc: *Martine ſcis domus ſordes colligere? Fili, valde in hoc mihi places. Fac hoc uſq; dum quidquam aliud de te fiat.* Quæ quidem verba tantam animi voluptatem in eo cauſarunt, ut annum integrum ſe melle paſci opinaretur. Humilitas virtus Mariana,

virtus filiorum MARIÆ est. Mariana quidem: humilitatem enim ejus respexit Dominus, ut homo fieret similis nobis; filiorum autem: quorum maxima in eo cura est, ut humili maximè conformentur Matri. Plurimos refert P. Lechner, *in Sod: Parthen: lib:* 2. *c.* 1. etiam è prima nobilitate, quorum alii in sodalitatibus sordes everrere, janitorem agere, aliaq; infima officia obire; inter quos laudat quendam è prima nobilitate Mediolani, qui sub ipsam horam, qua frequentes scholam visitabant, sodalitii locum expurgavit, cùmq; ad manum aliud non esset, sordes holoserico pallio extulit, cavillantibusq; aliis ob ista, respondit. Imprudens sim, si famulatum Marianum erubescendum mihi ducam. Non possum hic præterire, quod lego de P. Vincentio Caraffa VII. Generali Soc: JESU, *apud Bartoli in vita*, qui tanto desiderio colebat B. V. ut auditus sit dicere, se singularis beneficii & singularis felicitatis loco habiturum, si posset vitam totam in obsequio B. V. traducere, etsi scoparius tantùm esset ejus, cujus munus tantùm esset sacellum purgare, & stipe mendicata lampadem servare: cùmq; alter diceret, ejusmodi sermones ejus conditionem dedecere, mendicorum esse ea munia: respondit. *At ego hoc etiam munere indignum me judico, tanta quippe est B. V. dignitas, & præ-*

stantia

ſtantia, ut ne hoc digni ſimus obſequio. Quem tu hodie humilitatis actum facies pro honore Deiparæ, quamq; intenſum? maximè, cùm ſcias, quod habet S. Bernardus, quod tantò ei carior futurus ſis, quantò pro ea vilior.

31. S. Albericus ſecundus Abbas Ciſtercienſis conſtituit, ut omnia Ordinis domicilia B. V. pro tutrice haberent; quod quàm gratum fuerit Virgini, probavit ipſa, cùm comparens ei juſſerit loco nigri habitus, à Ciſtercienſibus veſtes ferri candidi coloris, ut eo colore Virginalem puritatem ſuam repræſentatam honorarent. *Chron: Ord: Ciſt:* Tutricem hodie eligendo Deiparam, conare, ut plures ad ſimilem ſubjectionem adducas; quo in caſu, tu, illiq; poteritis confidenter dicere, cùm vos undiq; perturbare volent afflictiones: non timebo mala, quoniam MARIA mecum eſt, & ſi licèt propè deſperatus ſis, poteris illo S. Ioannis Damaſceni uti: *Totam ignavè conſumpſi ego infeliciſſimus vitam meam, & nunc auxilii, conſiliiq; inops hæreo fini jam propior. Erectio proſtratorum es o Domina.*

32. Priuſquam Societati nomen daret Ioannes Berchmans, ſub initium cujusvis menſis à Sodalitatis Marianæ præſide poſtulabat, quem eo menſe nævum emendare, cui virtuti amore Deiparæ ſtudere deberet *teſtatur Barry in paradyſo.* Optimum virtutis incen-

tivum est amor MARIÆ, amare illam, & non facere quæ virtutis sunt, perinde est, ac esse ignem, & non urere: Qui virtutum studiosus non est, & dicit se amare MARIAM, mendax est amor ejus. Tu siquidem verè amas, selige virtutem unam, cujus actus amore Virginis facias.

33. Regula Sodalium est, indulgentiis dotata, ut visant ægros. Hanc hodie piorum omnium exemplo ad amussim observa amore Virginis, habens præ oculis, quod Eccli: 7. dicitur: *Non te pigeat visitare infirmum, ex his enim in dilectione firmaberis.* Et quod habet S. Damascenus, lib: 2. parall: c. 99. *quia ex hujusmodi visitationibus lætas spes, Divinam benevolentiam, cælestem fiduciam, animi probitatem & æquitatem lucramur: atq; hoc deniq; ut nullis rerum eventibus consternemur, sed in omnibus, quæ humanitus accidunt, philosophicum animum præstemus.* Amore Deiparæ si hoc opus feceris, audeo tibi promittere, quod de visitantibus ægram Sanctam Lydvinam, Thomas à Kempis *vitæ S. Lydvinæ c. 8. n. 3* inquiens: *Angeli vestigia eorum numerabant, qui causâ devotionis Lydvinam ægram visitabant.*

34. Benedictus ab Infante IESU Ord: Carm: Discalceat: cùm in opere textrino laboraret, identidem repetebat: hoc pro infante IE-

IESU, iſtud pro ejuſdem Sanctæ Matris cultu ſervit: *Barry in anno Mariano 3. Ian*: quæ quidem pietas ejus plus virium habere debet, quam voces militum Gedeonis, qui *Iudicum* 7. clangebant & conclamabant: *Domino, & Gedeoni.* Quod facis hodie operis, fac ex amoris erga Deiparam pura intentione, ut ſicut nihil fuit in templo Salomonis, quod non auro tegeretur, ſic nihil ſit in operibus tuis, quod non aurea ornetur intentione.

35. Eudoxia Imperatrix frequens occupabatur in componendis carminibus de B. V. Audesne tu, quod auſa eſt mulier? ſi amas: amor vocalis eſt, loquetur libens, & cantabit prærogativas Dominæ adeò avidè, ut dicat cum Petro Cellenſi: *lib: 6. ep: 23. Equidem cataractas cœli, & fontes abyſſi libentiùs in obſequium ejus ſolverem, & ſi Filius ejus IESVS aliquid omiſiſſet in prærogativa exaltationis ſuæ Matris, ego ſervus, ego mancipium uſq; ad exinanitionem mei ſupplere geſtirem.* Imbecillitatem & ineptitudinem tuam ad talia, non prætende, quantùm potes, tantùm aude, ſcitoq; verum eſſe, quod habet S. Damaſcenus: orat: 2. de Aſſumpt: *MARIÆ non poteſt non eſſe gratum, quod pro viribus efficitur.*

36. P. Bernardinus Realinus vir ille notæ ſanctitatis è Societate IESU frequens in eo

erat

erat, ut parvulis instillaret amorem erga Deiparam: hinc obvios præmiis alliciebat ad actus amoris, precibus flectebat, exemplo inducebat. *In vita* agnovit opinor vir iste sanctus post octo beatitudines addi posse nonam hanc: beati, qui MARIAM à juventute diligunt: decimam verò hanc: beati, qui cùm ipsi ament MARIAM, innocentes & rectos docent amare MARIAM. Tende & tu ad hanc tuam aliorumq́; beatitudinem, ac ostensa, quam ament, matre, dic eis: hanc amemus! hanc amemus! quæ tota amabilis est, cujus ipsum nomen sonat amorem.

37. Mulieri pudicæ petulans altera objecerat per calumniam, quotquot haberet liberos, eam omnes ex adulterio suscepisse: Maritus hoc audito, innocentem, quam ream putâtus strangurat, laqueo faucibus inserto ex arbore strangulandam dejicit, sed occulta manu sustinetur in àëre, dum funis rumperetur quasi succisus esset novaculâ. Rapta exin in editum collem dejicienda, etiam maximo impulsu adhibito, dejici non potuit conatu frustra adhibito sæpiùs. Furens igitur desperatione homo, retractam domum jussamq́; se in lectum componere ferrea glande parat interimere, qui tamen globus quasi laneus esset, inani ictu in sinum pudicæ mulieris delatus id unum effecit, ut muliere salva maritus ad mentem rediret, & veniam pre-

precaretur: Tot miraculorum causam quæris? una hæc erat: quòd pridie contumeliis affecta à petulante muliere, injuriam B. V. quam impensè colebat totam donârit, de nullo ampliùs solicita. *Doutreman pædag: Christ: part:* 2. *c.* 26. Quod ab aliis & tu aliquando affectus sis injuriâ, non dubito: an autem propter hanc non adhuc gliscat in te scintilla odii contracti contra offensorem, ignoro: amore Virginis plenè eam extingve, ut sis filius Matris & Patris, qui in cælis est.

38. Philippus II. Hispaniarum Rex, vocato paulò ante mortem filio suo Philippo III. tot regnorum hæredi dedit Crucifixum & flagellum inquiens: Imperator parens meus diem obîit manu tenens simulachrum Christi cruci affixi, eadem significatione pietatis mihi mori prædulce est, rogo fili enixè Deum, ut non absimili religiosi animi argumento filio meo mori contingat. *Cape fili piæ instrumentum lanienæ flagrum, & Patris atq; Avi sangvini, quo respersum est, adde tuum.* Ita extinctus est cadavere reperto induto cilicio. *Pet: Matthæus Gal: narr:* 4 *lib:* 1. Hoc munus tibi à Matre tua dari existima, scilicet Crucifixum & flagellum rubens Christi sangvine: fac Christo te configas cruci, sangviniq; ejus sangvinem jungas tuum *Eccli:* 33. dicitur: *Disciplina & opus servo:* dicere posses, etiam

fili

filio, nam ut agere, sic pati, Marianum est.

39. Alphonsus Rodriquez è Soc: IESU Coadjutor sanctus, ex quo B. V. servire cæpit nullam sibi horam elabi passus est, quin B. V. aliquod obsequium præstitisset, aut illam salutâsset; quin gratiam hanc obtinuit, ut singulis horis excitaretur noctu ad B. V. salutandam. *Habetur in vita.* Per singulas horas exalta Dominam tuam, nec prætereat te hora, quâ non dicas laudes ei, ut sic impleas, quod habet S. Bonaventura ps: 105. *Glorificabo eam, quamdiu vixero, & nolite cessare à laudibus ejus, & per singula momenta recogitate illam.* Porro horarium hunc honorem præstandi Deiparæ varii varium esse volunt. P. Claudius Aquaviva in punctis illis 24, quæ viginti quatuor horis diei ad expendenda Divini sacramenti arcana accommodavit, singulis ad calcem addidit hanc intercalarem: *Sit benedictum Sanctissimum tuum nomen, & gloriosæ tuæ Matris, quæ te peperit mundo factum fratrem nostrum.* Alii horologium construunt de variis orationibus, singulas ad quamvis horam dicendo: alii mysteria vitæ B. V. accommodant horis 24, ac singula singulis horis venerantur: alii deniq; singulas virtutes Marianas recolunt proponentes sibi eas ad imitandum.

40. Thomas à Kempis cùm solitas preces ad

ad B. V. omisisset, visa est per somnum Deipara omnes alios amplexa, ipso prætermisso, quem etiam torvo vultu ita increpuit. *Frustra meos amplexus expectas levis, & inconstans puer, qui ex pessima tua negligentia solitas mihi preces exolvere destitisti. Ubi nunc pii illi affectus? ubi suspiria & castissimi amoris jacula, quæ in me tam suaviter olim ejaculabare? Et adhuc meos tu favores? meos amplexus? Apage, nihil est, quod tua illa speret socordia.* Spec: exempl: dist: 10. § 7. Profuit Thomæ reprehensio, nam ad cor & devotionem rediit, quam quoad vixit, nunquam posthac intermisit. Pari modo reprehensum S. Edmundum à S. Ioanne Evangelista, quòd statas preces aliquando omiserit, quas honori B. V. persolvere solitus erat, *testatur Surius in vita*. Sic de Patre Gabriele Vasia testatur Nadasi, in anno dierum memorabilium, cùm versiculum illum Monstra te esse Matrem in morbo dicere oblitus esset, reprehensum eum à Deipara audivisse: *Et tu mei jam oblitus es?* Amator Mariane ita te cultui B. V. niti volo, ut innitaris; ita insistere, ut non decidas, ita progredi, ut non regrediaris: propositum tibi habe ante oculos monitum S. Gregorii lib: 1. moral: dicentis: *Incassum bonum agitur, si ante vitæ terminum deseratur, & frustra velociter currit, qui priùs*

quàm

quàm ad metam venerit, deficit. *Perseverantia* ait Bern: *est unica filia summi regis, finis virtutum earumq́; consummatio, totiusq́; boni repositorium, & virtus, sine qua nemo videbit Deum:* ego addo, nemo dignè colit MARIAM. Occurrit mihi hìc illud effatum viri omni exceptione majoris, ac eximiæ sanctitatis P. Francisci Costeri è Soc: IESU, qui cùm morti proximus rogaretur: Quis cultus Deiparæ esset omnium acceptissimus? respondit: constans, quantumvis exiguus: testatur *Nadasi in annal: Mar: n.* 594.

41. De S. Patre Nostro Ignatio memoriæ proditum est, *ut habet Lyræus apoph: lib: 3. c.* 12. eum totis triginta quatuor & ampliùs annis, nunquam quod ad Dei gloriam proposuisset propter ullas temporis injurias in diem alium, vel horam rejecisse: Propositis tuis præfice MARIAM cùm Ignatio, & quidquid agis instanter operare: aliàs fies anima instabilis, filia vaga, parvulus fluctuans, cursor explicans vias tuas, nubes sine aqua, quæ à vento circumferuntur, similisq́; fluctui maris, qui quovis flatu impellitur.

42. Cùm Matri Deorum vota persolvuntur, ait Val: Max: *l.* 1. *c.* 1. & minimi Religionis neglectæ apices accuratè scribuntur: cùm Mater Dei veri colenda est, etiam minimi errores & peccata eliminanda sunt. Sabbathum

Di-

Divinæ requiei vocatur Deipara à Patribus, memento cùm hunc diem Sabbathi ſanctificas, ne ligna colligas venialium peccatorum, ſed in ſanctitate tranſigas diem, in quo Deus univerſa refecit. Quintiliani eſt illud: lib: 10. inſt: c. 3. *Nihil in ſtudiis parvum eſt:* tuum ſit: nihil in peccatis parvum eſſe, ſi eo violatur innocentia cultui Deiparæ neceſſaria: Iurisperitorum proverbium, quòd de minimis non curat Prætor, apud eos teneat; non tenet in ſchola MARIÆ; nam in ea de minimis curat cultor MARIÆ ſciens, quòd qui in minimo fidelis eſt, & in majori fidelis erit.

43. Multi in more habent ſpiritualiter mendicare aliqua apud B. V. de qua quidem mendicatione loquens P. Iacobus Alvarez noſter lib: 3. cap: 5. ait: *Crede mihi frater in hoc exercitio magna eſt utilitas, & ſub hac ſimplicitate verborum ingens latet fructus: nam benigna Mater Chriſti occaſiones quærit ditandi nos, & ad magnam virtutem provehendi. Eſt etiam illi magna exercendæ liberalitatis occaſio, ſi quotidie ut pauperes & egeni in conſpectu ejus appareamus, & miſerias noſtras aperientes dona fiducialiter appetamus.* Quod genus mendicandi videtur uſurpâſſe S. Ephrem, cujus hæc verba ſunt: in biblioth: PP. hom: de laud: B. V. *Ex ulnis equidem maternis tibi Domina mea*

de-

deditus sum miserabilis, & cliens tuus vocatus sum. Usurpa & tu mendicans pro te, & aliorum necessitatibus gratias, & levamen.

44. Causinus *lib: 3. symb: 38.* meminit regii pueri Indi, qui, præterquam quod nomina Patris ac Matris demortuorum assiduè in ore haberet, adeo ut lachrymæ decidentes ea ibidem deprehenderent, in capite vulnus aperuit sibi, dissimulatoq; dolore, paternos ac maternos cineres in hiante capitis vulnere sepelivit. Reliquias MARIÆ si habere posses, reor illos in corde tuo absconderes, quas tamen cùm non habeas, autor tibi sum, ut sanctissimum nomen MARIA cordi & ori inferas, cordi dico, non quidem exemplo magìs stupendo quàm imitando P. Francisci Binans Ord: Minimorum, *de quo Balinghem ex Chron: Minimorum* quod nomina IESU & MARIÆ cordi insculpta gerebat: sed exemplo aliorum, qui jugi cogitatione hoc nomen Sanctum venerantur, ore semper nominant, labiis benedicunt, aliosq; ad idem faciendum hortantur cum S. Bonaventura ps: 144. dicente: *Benedicite nomen MARIÆ Matris Dei, & suscitabit vobis voluptates sempiternas.*

45. Ludovicus Rex Germaniæ filius Caroli Magni, B. V. simulachrum semper è collo suspensum circumferebat, atq; si inter venandum sinistri quid quandoq; accideret, aut

per

per ſilvas erraret, ſimulachrum hoc arbori affigebat, & coram illo poſitis humi genibus B. V. ſupplex venerabatur. *Caniſius de B. V. lib: 5. c. 29. Crantz &c.* Idem fecit Andronicus Orientis Imperator, nam cùm repentino caſu ad extrema redactus, viatico Evchariſtico ſe deſtitutum videret, auream quam è collo geſtabat, Beatæ Dei Matris effigiem ori admovens, ac triſte illachrymans vitâ exceſſit. *Binet tract: de devot: erga B. V.* Præ foribus ſolet apponi ſtemma Domini: domûs cordis tui MARIA eſt Domina; igitur ſtemma ejus, id eſt imaginem præ foribus loca: patebit ex eo, ad quem pertineas, tuq; gloriabere, quòd ſub patrocinio Reginæ cæli vivas.

46. Gvilielmus Petereus è Soc: IESU de propagato B. V. cultu bene meritus, dum ad extrema deveniſſet, ac ſocii ſe ab illo deſtitui queritarentur, qui colendæ Virginis dux fuiſſet, graves oculos elevans ait: *Domine ſi propagandis Matris tuæ honoribus neceſſarius ſum, exautorari non peto, nec laborem defugio.* P. Rho lib: 2. c. 3. n. 21. Promovere ſi poſſes cultum MARIÆ etiam cum jactura particulæ bonorum tuorum, cum jactura valetudinis & famæ tuæ, recuſabisne laborem: age, virum te deſideriorum volo, qui hæc omnia des peſſum, modò exaltetur nomen MARIÆ.

47. Cæſar Cardinalis Baronius in ſchedulis, tabulis, ſcriptisq; ſuis paſſim ponebat has notas, Cæſar ſervus MARIÆ: MARIÆ ſervus Cæſar: ut videre eſt in ejus annalibus, teſtaturq; Barry *anno ſancto p.* 3. 13. *Sept:* Alios ſcio qui ſingulis paginis titulos, & elogia B. V. ex Scriptura & Patribus deprompta inarant. Si utiq; MARIÆ mancipium eſſe vis, ages, quod dicitur *Iſai* 44. ut glorieris, quia Domini ego ſum, & ſcribes in manu tua Domino, ſubaudi, ſervio: verbo & ſcripto, imò re ipſa clamabis: Ego ſervus tuus ſum, ſervus tuus ſum, da mihi intellectum, ut non erubeſcam te coram hominibus: reflectes te frequenter ſuper opera tua, cui fructificârint, tibine vel Dominæ? & cui fructificare debeant.

48. P. Ioannes Tellerius è Soc: IESU, ut cultum B. V. promoverét, judicavit *teſtè Sacchino hiſt: Soc: n.* 34. ei adjungendam pietatem erga animas purgatorii. Quare Romanæ urbis parochos adit, ſuadens, ut veſperi cùm datur ære campano ſignum pro Deipara ter ſalutanda, daretur etiam ſignum pro oratione fundenda pro animabus purgatorii: horum conſentientium nomina in libellum relata offert Gregorio XIII. Pontifici, qui delectatus hoc pietatis ingenio, annuit, & induſtriam hanc indulgentiis ſtabilivit. Animæ purgatorii fratres ſunt filiorum MARIÆ, quia ipſa eſt ea-

rum

rum Mater, quemadmodum ipsa fatetur S. Birgittæ *lib: 4. revel: c. 138.* inquiens: *Sum Mater omnium, qui sunt in purgatorio*, ut fratribus ergo fratres subveniant necesse est, maximè cùm sciant quòd per ejusmodi subventionem faciant matrem filiorum lætantem.

49. S. Gregorius Turon: *lib:* 1. *de gloria Conf:* habet de S. Severo Episcopo, quòd lilium honori Deiparæ obtulerit, cui licèt per cæteras anni partes forma deflueret, anniversaria tamen dedicationis die reflorescebat. Lilium dicas Virgini, quoties ei innocentiam offers, hoc lilium toties efflorescit, quoties, quòd puritati contrarium est, emendare studes.

50. P. Iulius Cæsar Recupitus è Soc: IESU inter suas industrias moriendi feliciter ponit & hanc, *apud Nadasi in annal: Marian: num:* 1159. Sertum, *ait*, texendum esse è flosculis quotidie collectis, quod in hora mortis offeras Deiparæ: flosculus autem esse potest aliquis mortificationis actus v. g. in occasione coorientis iræ, lingvam silentio premere, in occasione aspectus rerum curiosarum, oculos cohibere; in mensa à bolo placito abstinere: Qui quidem flosculi seu actus mortificationis inscribantur libello, cui titulus sit: Sertum flosculorum à me maximo peccatore B. V. offerendorum in hora mortis meæ; inscribantur autem quotidie, cùm lecti fuerint, si autem lecti

non

non sunt, dies notatur literâ O. Quam quidem devotionem *ait ibidem* non uni inter moriendum fuisse suavissimo solatio affluenti deliciis paradysi, ridenti, morienti: quorum numero accenseri potest M. Michaël Kraus è Soc: JESU juvenis verè innocens, qui cùm Brunsbergæ, ubi humanitatem docebat, moriturus esset, ejusmodi libellum uno circiter priusquam animam ageret, quadrante, in manus sumpsit, ac quâ potuit moribundus vocis contentione B. V. obtulit, tum suprà quàm credi potest insolita voluptate perfundi visus est, ut adstantes sibi à dulcibus lachrymis cohibere se non possent. Demum: Iam vade exclamat Beatissima Virgo cum tuis Virginibus, utiq; jam satis, jam satis: cùmq; Pater spiritualis erectas ejus manus componere vellet, subjunxit Ah Pater, rogo, non mihi invideat, non invideat mihi rogo, ego statim, statim moriar: quod & factum, nam vix inchoata lectione obitûs B. Stanislai Kostka, quod fieri volebat, suavissimè in Domino obdormivit, anno 1681. die 24. Novembris, relicta omnibus persuasione Beatissimam Virginem illi aspectabilem fuisse. Et hunc quidem modum amandi re ipsa B. V. tibi præ cæteris familiarem volo, continet enim heroicum amorem, & virtutem illam, quæ est propria Sanctorum, Sancti enim plurimum in eo contentionis ponunt, ut se ipsos vin-

vineant. Platonis lib: de legibus est illud: *Vincere se ipsum omnium victoriarum prima est, & optima:* ideoq; S. Greg: apud Hugonem Card: in ps: 17. plùs stupet David saltantem coràm arca, quàm pugnantem, quia pugnando hostes occidit, saltando se ipsum vicit. Ejusmodi victoriis primis & optimis assvescendum tibi est, ut probes te esse verum filium MARIÆ, *nequaquam* enim *convenit, ut ex fortissimis parentibus ignavus filius superstes sit:* verba sunt cujusdam mulieris occidentis filium suum, qui inerter se gesserat in bello, *apud Plutarchum in apoph: Lacon.*

Pluribus hìc immorari non vacat, obviis in occasionibus plura reperiet amator Marianus, quæ faxit amore Matris suæ: unum, priusquam concludo, addo quod habet Richardus à S. Laurentio lib: 2. de laud: Virg: inquiens: debere nos servire MARIÆ ex toto corde, ex omnibus membris, & sensibus nostris: ex corde quidem eam castissimè, ardentissimèq; amando: capite, illud ad ejus nominis invocationem inclinando: oculis tam mentis quàm corporis eam semper nobis præsentem observando: auditu, ob ejus honorem & gloriam ad omnia noxia eum diligentissimè obturando: odoratu currendo in odorem ungventorum, Virginearum ipsius virtutum, aliosq; ad eam amandam imitandamq; pertrahendo: gustu, à ci-

bi potusq; intemperantia, quo dignius Virgini famulemur, illum coercendo, necessaria moderatè ad victum sumendo; de his, quæ mensæ apponuntur, aliquid, quod postea pauperi erogetur, subtrahendo; ejus vigiliis & Sabbathis jejunando, in ejusdem deniq; solennitatibus aliquid largius ipsius amore egenis distribuendo &c. &c.

Et hæc sunt, quæ de filio adoptivo, ejusque obligatione dicenda judicavi, quibus omnibus unum duntaxat respexi amorem, unumque illud dixi: Ama MARIAM, & sufficit, nec aliud quidpiam ultra posco.

Literas nominis *MARIA* si per anagramma dispertias, reddent vocem *Amari*, ut intelligas, te amare debere, si ad illam referri velis; crescere aliter in virum perfectum, & verum MARIÆ filium non potes, nisi amoris imbre irrigeris, unde iterum ex verbis his *MARIA Virgo* habes anagramma *Amor rigavi*. Nihil igitur restat, nisi ut millies inclamem tibi, quod felici ingenio anagrammaticè vertit ex tota Salutatione Angelica P. Bohuslaus Balbinus inquiens:

Chare sodalis ama! ut non te peccata moretur
Ingrediare sinum: tuus est: clauderis in isto.
Totus ibi Matrem bibe: sæpius ubera presa,
Nã tibi nectar erũt cordi, favus õnia vincet
Vincet amor.

Ama

Ama; *ipsa* enim, ait Idiota, in prol: cont: B.V. *diligit diligentes se, imò sibi servientibus servit, apud Patrem & Filium procurat negotia, & petitiones nostras*: ama, ut sic certus sis quòd redameris, certus de salute tua, quia si verè amaveris, quam colis, impossibile erit perire te; nec enim malum aliquod maximè æternum potest premere eum, qui toto corde rapitur in illam, de cujus ope etiam illud nos habere voluit, ut possideamus omne bonum. In quam rem mihi rursus, siquidem in talia lapsi sumus, servit aliud anagramma, quod quidam ex Sanctissimis his nominibus IESUS MARIA IOSEPHUS concinnavit, estq; tale: *Si peris, hos ama, vives.* Ama deniq; Matrem fili MARIÆ toto te, hócq; unicum sit opus tuum, ut diligas, quia diligendo voluntatem omnem ejus, & legem imples, nam & hic plenitudo legis dilectio est: ama; donec reverti liceat in domum Domini, imò in domum Matris dilecturo æternum, fruituroq; præmio dilectionis. Ad quem quidem statum beatitudinis obtinendum si cætera deessent, unus amor sufficiens erit, poterisq; titulo amoris jus ad hæreditatem Matris habere, securèq; quærenti de operibus Iudici respondere, quod olim Theodosius Imperator apud S. Ambrosium *tom: 3. de obit: Theodosii pag:* 49. respondisse fertur; sic quippe de eo Pater iste San

ctus: Ergo decedens è terris pia anima, & Sancto repleta Spiritu, quasi interrogantibus iis, qui sibi occurrerent, cùm se se ad sublimia & superna subrigeret, dicebat: Dilexi. Interrogabant Angeli vel Archangeli? Quid egisti in terris? dicebat: Dilexi: hoc est dicere, legem implevi, Evangelium non præterivi, morti me obtuli.

PARS II.

De Filiatione per Imitationem & Doctrinam.

FIlios per imitationem & doctrinam simul conjungo, tum ut brevior sim: tum quia facilè una filiatio in aliam coincidit; nam & exempla docent, & doctrina proponit ea, quæ imitanda sunt. Porro etiam hic, qualis quisq; esse debeat filius, quidq; ad hoc, ut partes suas impleat, ab eo requiratur, quantùm quidem præconcepta brevitas patietur, explicare studebo.

CAPUT 1mum.

De Filio MARIÆ per Imitationem.

FIlium dici, qui mores alienos imitatur, testis etiam est S. Basilius *in cap: 13. Isai.* & S. Hieron: *in cap: 16. Ezech:* sic ferè mendaces vocantur filii sathanæ patris, quia primum mendacem imitatione exprimunt; sic filii Patris

cælestis dicuntur, qui imitantur illum, qui solem suum oriri facit super justos & injustos; sic vocare solemus aliquem germanam prolem alterius, quem moribus refert: sic deniq; Augustinus in ps: 47. eos, qui simulant virtutes aliorum, quas non habent, vocat *filios alienos, filios propter formam pietatis, alienos propter amissionem virtutum.*

Res mihi hactenus fuit cum filio adoptivo MARIÆ, nunc cum eo, qui eandem moribus referre debet, erit; qui quidem etiam adoptivum includere potest; nam ut bene Hierocles in comment: carm: Pyth: ait: *Quem quis diligit, imitatur etiam, quantum potest.* Ab hoc præter amorem exigo cultum Matris suæ, eumq; absolutissimum, ac perfectissimum; de quo agens S. Aug: ait: *Summa religionis est, imitari, quem colis:* & Lactantius: *religiosissimus*, ait, *cultus est imitari:* quod idem advertit Sen: dum diceret: *Vis Deos propitiari, bonus esto, satis illos coluit, quisquis illos imitatus est.* Porro sicut in generatione carnali honor magis affectuosus & sincerus est, quem filii exhibent parentibus, utpote ad quem ipsa natura inclinat, sic in generatione spirituali magis verus est honor, utpote qui in ipsis moribus honorantis radicatur: & sicut in carnali filiatione filius tunc bonus esse, & probè referre parentem censetur,

cùm

cùm patrum in natos abeunt cum ſemine mores, ſic in mea ſpirituali generatione tunc cenſetur optimus, cùm matrizat, id eſt, cum moribus matrem refert.

Platonis lib: 11. de legibus dogma eſt, *nullum apud Deos magis venerandum ſimulachrum nos habere, quàm Patres, matresq́; quibus honorandis gaudet Deus:* quo putas honoris genere? utiq́; non fucato illo, & politico, qui non niſi verbalis eſt, ac honoris larva, non honor, dicente Auguſtino: ſerm: 30. inter novos. *Honorare & non imitari, nihil aliud eſt, quàm mendaciter adulari:* ſed vero & genuino, qui conſiſtit in ſimilitudine morum, quemq́; Deus ipſe intendit exhiberi ſibi, cùm hominem ad ſimilitudinem ſuam crearet, ut notat S. Leo lib: 1. de jejunio decimi menſis, dum dicit: *Si fideliter dilectiſſimi, atq; ſalubriter creationis noſtræ intelligamus exordium, inveniemus hominem ideo ad imaginem Dei conditum, ut imitator ſui eſſet autoris.* Quemq́; ipſi nos Chriſto Redemptori reddere volumus, cùm dici volumus Chriſtiani: quid quippe eſt eſſe Chriſtianum, niſi imitatorem Chriſti, ut idem S. Leo ſerm: 6. de Nativ: inquit. *Fruſtra nos appellari Chriſtianos, ſi imitatores non ſumus Chriſti, qui ideo ſe viam dixit, ut converſatio magiſtri, forma eſſet diſcipuli.* Aut,

ut pauló aliter loquitur S. Greg: Nazian: tom: 2. de perfect: Christ: pag: 703. quid *Christianismus, nisi imitatio Divinæ naturæ.*

Honora igitur, ut monet Scriptura, Eccli: 3. *Patrem tuum* (matrem) *ut superveniat tibi benedictio*, & honora ita, ut memineris, quod habet D. Greg: Magnus: hom: 18. in Evang: quia *Virgini multò magis placet imitator devotus, quàm laudator otiosus, & vera laudatio cordis & oris imitatio est operis: & tunc veri laudatores Sanctorum existimus, si ea sectemur, quæ & ipsi sectati sunt.*

Druidæ Cybelen matrem Deorum, quam aliàs Tellurem dicunt, adeo scrupulosè colebant, teste Arnobio, ut cultoribus acerrimas leges scripserint, nam cultris quasi æstro percitì concidere corpus jubebantur, & jejunia adeo dura obire, ut per tempus sui (ut vocabant) casti ne panem quidem in cibum admitterent, quin inventi sunt, qui ut plenam immunitatem ab usu corporis naturæ consentaneo sortirentur, partem, quâ viri erant, ab se resecarent. De hac ipsa Cybele ajebat Iulianus Apostata apud Nicephorum lib: 10. cap: 22. non posse faustum quid evenire illi, qui Deorum matrem remissiùs honorârit. Quo quidem in cultu eo præcipuè, quo jubebantur corpus cultris incidere, videntur intendisse quandam similitudi-

nem

nem, & imitationem cum ea, quam colebant; ſicut enim tellus aratur, ut fructum ferat; ſic ii corpus concidebant in obſequio ejus: ſicut eandem imitationem aliàs ſæpe ſcrupuloſè reſpexit antiquitas, talem enim quisq́; ſibi pinſebat Deum, qualis eſſe volebat, gibboſum gibboſus, luſcus luſcum, fur furem, è quibus aliquos ſugillat S. Aug: *l.* 1. *Conf*: *cap*: 16. dicentes nefaria de Iove, ut haberet Iupiter autoritatem ad imitandum, ut quisquis ea feciſſet, non homines perditos, ſed cæleſtes Deos videretur imitatus, adducitq́; quendam è Terentio proponentem ſibi Iovem in exemplum, & ſe concitantem ad ſcelera, quaſi cæleſti magiſterio. Ita quidem ethnici erga ſuos Deos, Deorumq́; matrem afficiebantur: meliùs filii MARIÆ afficiuntur erga Matrem Dei, & ſuam, ſemper enim eis perſona matris honorabilis, ſemper imitabilis eſt, cenſentq́; tunc ſe magis honorare, cùm magis per imitationem ad ejus ſimilitudinem accedunt: qua in re ſic ſecum ratiocinantur. Ipſa Virgo Mater Dei utiq́; maxima cultrix Dei erat, ut omnes teſtantur, nec enim major honor, ſicut nec major amor impendi poteſt Deo, quàm ab illa perſona tam honorata impenſus eſt: Unde autem in tantam evaſit cultricem, niſi, quia ſecundùm Albertum Magnum ſuper Miſſus c. 67. *fuit imitatrix Dei in omnibus*, & rurſus c. 161: *imi-*

tatrix

tatrix summi principii in summo: quod enucleatiùs explicat S. Bern: Sen: tom: 4. serm. de Assumpt: inquiens: *quod fuerit imitatrix præcipua Christi filii sui, quem non tantùm gressibus pedum, sed etiam pro reverentia, secuta est affectu pietatis, fidei, religionis & ardentissimæ charitatis, ut nunquam ab eius fide & dilectione avelli potuerit*. Ex quibus inferunt: si Virgo ex hoc quòd Deum summè imitata est, summè coluit; oportet etiam magis ab eo coli Virginem, qui magis imitatur.

Et certè quicunq; extrinsecus cultus exhibeatur Virgini, quanquam nunquam tantùm ascendet, quantùm meretur ipsa intrinseca virtus ejus, provehitur tamen altiùs & altiùs virtute majoris & altioris imitationis; sicut quantumcunq; in tabula pictor ponat lineamenta, nunquam Cæsarem reddet vivum, reddet tamen magis similem & aspectabilem, quò aptiùs suis quæq; locis lineamenta posuerit. In imaginem cùm incidi, occurrit mihi, quod habet Cicero lib: 2. de finibus, filium vocari *effigiem probitatis paternæ, imaginem animi & corporis paterni*, qualiter etiam Hebræi filium vocant *Ben*: id est, fabricam ad Patris effigiem sculptam, quæ quomodo verificentur, non video, nisi accedat imitatio, per quam instilletur Patris virtus proli, ut qui vident ope-

ra Filii, glorificent Patrem in Filio.

Ptolomæi observatio est, eundem cum Patre honorem habiturum, qui dum nascitur, eandem habet configurationem stellarum, quam Pater habuit, dum diadema acciperet, vel saltem convenientiam aliquam: *Inspice*, ait, in centiloq: *primorum generis regum creationes, si enim ascendens creationis convenit cum ascendente genituræ Regis Filii, is regis successor erit.* Vanitati huic astrologicæ refellendæ immorari animus non est, certum tamen id esse dico, ab eo maximum honorem Patri fieri, qui eundem cum eo ascendentem habet, id est, qui ejusdem cum illo virtutis est; vivit enim in eo virtus & honor Patris, vidensq; fructus filii, glorificat radicem, cui innituntur hi fructus.

Nasci Græcis idem erat, quod accendi lumen in alio, rebantur enim sic Filium esse accipere à Matre, sicut lucerna accenditur ab alia: hinc Plato *lib: 6. de legibus* docet parentes vitam filiis tradere, sicut cursores tædas accensas, quas initio stadii à præfecto acceperant, emensoq; eo tradebant aliis: hi rursus aliis: quo respexisse videtur Lucretius, cùm de parentibus loquens, ait: lib: 2.

Et quasi cursores vitai lampada tradunt.

Imò & Scriptura loquens de filio David: *Paravi dicit lucernam Christo meo.* Et de A-

bia

bia: *Propter David dedit ei Dominus Deus suus lucernam in Ierusalem, ut suscitaret filium ejus post eum.* Quodsi tamen talis genitura non est filiorum carnalium certè mei Mariani genesis talis est, accensa enim lampas ejus est ex ardentissima luce Marianarum virtutum, vivitq; vita quodammodo ex traduce, id est, de splendoribus Marianis, ut qui videt hunc in luce ambulare, vivereq; compositis ad omnem honestatem moribus, collaudet lucidum corpus, è quo hæc scintilla lucis decisa est.

Atrebati confraternitas sub patrocinio B. V. erecta est, dicta Sodalitas Ardentium seu Flagrantium: ortum ea habuit à cereo quodam ardente, qui per annos quingentos integer conservatus est, licèt de deciduis ab igne guttis illius plures alii similes efformati sint. Cereum hunc ab ipsa Deipara allatum refert Gvilielmus Gazæus tum ad extingvendam dissensionem duos inter juratos hostes, tum ad luem epidemicam inibi grassantem per potum aquæ, in quam guttæ ardentis cerei hujus decidissent, tollendam: quam cerei allationem contigisse vult Courcier *anno* 1105, approbatumq; dicit miraculum à Sixto & Clemente VIII. Pont. De ejusmodi sodalitate Flagrantium vel Ardentium omnis filius MARIÆ est, flagrat enim, & ardet igne, quem derivavit ab igne Mariano, una siquidem MARIA lucet

in moribus, fulget in actionibus ejus, unius hujus lumen videtur in lumine filii, laudaturq; lux prima, quæ talem radium filio lucis communicavit.

At jam videor mihi videre te paratum, ut amiciaris lumine ex alto, paratum inquam ad imitationem virtutum Marianarum, optare tamen quasi in speculo virtutes Marianas tibi proponi, ut secundùm modulum tuum imitari possis, quod in Virgine celebrare delectat. Pareo, ac syllabum aliquarum virtutum Marianarum ob oculos pono: dico aliquarum: nam omnes ejus virtutes in compendium reducere, non est hominis. Bene P. Georgius de Rhodes in 3. p. D. Thom: tract: 8. disp: unica q. 4. sect: 8. ait: *Cogitent morales omnes Philosophi, quantùm voluerint, fingant Angeli omnes, quantùm potuerint, nunquam tamen vel numerando, vel mensurando attingent magnitudinem, aut multitudinem virtutum Deiparæ.* hæc enim est illa, quæ ascendit sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ & thuris, & omnis generis pigmentorum: hæc est, de qua Cant: 4, quòd *emissiones* ejus *Paradysus malorum Punicorum cum pomorum fructibus, Cypri cum nardo, nardus & crocus, fistula Cinnamomum cum universis lignis Libani, myrrha & aloë cum omnibus primis ungventis;* Hæc est mulier illa

illa amicta varietatibus virtutum, in qua, ut bene Sophronius serm: de Assumpt: *quidquid gestum est, totum puritas & simplicitas, totum gratia & veritas fuit, totum misericordia & justitia, verè hortus deliciarum, in quo consita sunt omnia florum genera, & odoramenta virtutum.* Hæc est deniq; de cujus virtutibus dici potest illud. Eccl: 1. *Altitudinem cœli, latitudinem terræ, & profundum abyssi quis dimensus est? Sapientiam Dei præcedentem omnia quis investigavit?* ob quæ & alia à Patribus dicitur inhabitari à plenitudine Spiritus Sancti, esseq; universitatem sanctitatis in illa: aliquarum ergo virtutum ejus syllabum ob oculos pono: daturus paulò infrà etiam modum imitandi, ubi particulatim actus virtutis explicabo.

CAPUT 2dum.

Syllabus aliquarum Virtutum Marianarum ad imitationem propositarum.

FIDES.

LVc: 1. vocat MARIAM Beatam Elizabeth, quòd crediderit. Fuit ergo fides in Virgine, ob quam à Patribus vocatur magistra

gistra fidei, mater credentium, mater agnitionis, id est, ut explicat Idiota de B. V. part: 14. contempl: 1. *mater revelationis fidei, quia sola fidei revelatio ad eam & in ea facta est, quia ipsa dedit exemplum credendi, quod credendum est, & ideo dictum est ei: Beata quæ credidisti*. Hæc Idiota. Porro fuit in ea fides major fide aliorum Sanctorum, ut docet Alb: M. *super Missus c.* 99. quia sola fuit constantissima, nec enim ei convenit illud *Matth*: 26. Omnes vos scandalum patiemini in me, quia nullam habet admixtionem mali; sola enim malum non fecit: quia fuit summæ efficaciæ; ad credentis enim ejus vocem Fiat mons montium, id est, Deus ipse tulit se, & misit in mare mortalitatis nostræ: unde S. Anselmus in cap: 10. Luc: *porta* ait, *per quam intravit JESVS, est fides MARIÆ*: deniq; quia stetit cum experientia; alii siquidem crediderunt de Virgine nasciturum, vel natum, hæc autem etiam experta est.

Nec oberat fidei B. V. quod haberet visionem intuitivam Dei, vel enim hæc visio transiens tantum erat, ut sentit Suarez *tom*: 2. *de Inc*: *disp*: 19. *sect*: 4. & alii, puta in prima sui conceptione, ut idem putat post D. Bernardum cum Salazar & aliis In conceptione Christi ut D. Bernardinus, Pet: Damiani, S. Antoninus, & alii: in Christi resurrectione, ut S.

Tho-

Thomas de Villa-nova: *serm: de resur:* vel si fuit tota vita, quod colligit ex quibusdam autoribus Vega, *Theol: Mar: pal:* 34. *cert:* 1. dissolvens quidem rationes in contrarium, non audens tamen iis adhærere: vel inquam fuit totâ vitâ, & sic tamen adhuc non caret actibus fidei, cùm fides per visionem Dei evacuetur tantùm in patria, non autem in via, hinc etiam visio hæc Dei non sustulit in ea statum merendi, quod in patria fit. Credidit ergo MARIA Deo, & reputatum est ei ad justitiam. Quid restat, nisi ut agas, quod monet S. Ildephonsus: serm: 1. de Assumpt· *Quæso vos,* inquiens, *o filii imitemini signaculum fidei vestræ Beatam MARIAM, quam velut ignis ferrum, Spiritus Sanctus totam decoxit, incanduit, & ignivit.*

SPES.

MAter Sanctæ Spei MARIA vocatur, non ideo solùm, quia in nobis spem generat futurorum, sed quia, ut ait Idiota, *ubi suprà*, exemplo suo docuit, quid sperandum sit. Fuit verò in ea spes in gradu excellentissimo, nec enim admixtum ullum habuit timorem, ut fit in aliis sperantibus, qui adhuc excidere possunt gratiâ Dei, & sic frustrari sperato bono: unde etiam expectatio ejus longè diversa fuit ab expectatione aliorum, quia ut loquitur Albertus Magnus, super missus c. 83.

ex-

expectatio ejus fuit per modum comedentis, cum tamen alterius viatoris, expectatio sit per modum esurientis. Spes ergo fuit in Virgine excellentissima, quantùm ad actum, & habitum; ad actum quidem: quia certò expectabat beatitudinem motu tantorum meritorum & gratiæ; quoad habitum autem: quia decens erat, nihil decoris deesse illi, quam splendor Patris inhabitaturus erat.

CHARITAS erga Deum.

MAter pulchræ dilectionis MARIA est, ideoq; actibus amoris plena est, qui quidem actus amoris ejusmodi sunt, ut meritò doceat Suarez *in 3. p. tom: 2. disp: 18.* plùs à Virgine amatum Deum, quàm ab omnibus Sanctis simul, sicut è contrà ipsa plùs amata est à Deo, quàm omnes Sancti simul: quod etiam colligitur ex S Bonav: in spec: c. 6. dicente: *Quid mirum, si præ omnibus diligat, quæ præ omnibus est dilecta*: & probatur in stellario *B: V. lib: 9. p. 3. a. 1. Imò*, quia amor ejus processit ex corde longè puriore, quàm erat cor aliorum Sanctorum: decens siquidem erat, teste Anselmo, MARIAM eâ puritate nitere, quâ major sub Deo nequit intelligi, quò autem cor purius est, eò charitas, quæ 1. *Tim:* 1. procedit ex corde puro & conscientia bona, major est. 2*do*, quia omnes simul Sancti tan-

tùm diligebant Deum ut servi; B. V. autem ut Mater, excedit autem incomparabiliter dilectio Matris dilectionem servorum, sicut excedit naturali propinquitate & similitudine ipsa Mater servos. *3tiò*, quia gratia B. V. excessit gratiam omnium Sanctorum simul, ut plures Patres volunt; oportet ergo, ut & charitas Dei diffusa in corde ejus per gratiam Spiritus Sancti, qui datus est ei, major esset, quàm omnium Sanctorum, ne alioquin gratia aliqua in ea vacua fuisset. Accedit quòd in ea fuerit cognitio perfectissima, ac tantùm non intuitiva Dei summè boni, & summè amantis, quæ duo teste Philosopho sunt præcipua incentiva amoris perfectissimi: ex quo unio illa perfecta cum Deo, *amor enim*, ut loquitur S. Dionysius, *unionem efficit*, originem suam habuit, quæ unio sita videtur in contemplatione, quâ intellectus & voluntas ejus occupabantur circa Deum cognoscendo & amando ita constanter, ut nec per somnum & occupationes cessârit ab actionibus ejus. Propter quas rationes rectè inferes cum autore stellarii *ubi suprà a.* 2. quòd charitas ejus adhuc viventis in terra major fuerit quàm viventium in cælo Angelorum saltem secundùm substantiam, imò & secundùm effectum meriti adhuc capacem, licèt non secundùm fruitionem. Dilucidat hoc ipsum Suarez *loc: cit:* ex comparatione meriti supremi Angeli: commu-

nia

nis quippe Theologorum sententia est, quòd acceptâ pro priori gratiâ Angelus intra breve tempus viæ suæ uno actu virtutis, puta fidei, amoris, religionis, obedientiæ aut alterius alicujus collaborans gratiæ datæ sibi tantam gloriam lucratus fuerit, ut omnibus emineat; tum infert: cùm ergo B. V. primo instanti conceptionis longè plus gratiæ acceperit, quàm supremus Angelus, eamq; propè infinitis actibus auxerit, consequens est, amorem ejus majoris fuisse valoris, quàm amorem supremi Angelorum, aliorumq; cælitum: imò cùm unus actus amoris sit meritorius augmenti habitus secundùm totam latitudinem, consequens erat, ut unus actus amoris, qui dignior longè erat actu meritorio supremi Angeli, meritus fuerit augmentum habitus duplo majoris, secundus iterum tale augmentum, & sic propè in immensum, ita ut actus posterior duplo majoris meriti fieret, quàm prior: unde si prior actus meritorius fuit gratiæ ut centum, posterior esset meritorius ducentorum graduum, & sic deinceps: infert deniq; potuisse Virginem in fine vitæ tot gradus gratiæ uno actu amoris mereri, quot toto tempore vitæ superioris per omnes actus suos, cùm potuerit actum hunc elicere ex tota virtute & efficacia habitûs. Subscribit Suario etiam Vega *Theol: Mar: n.* 1144. docens B. V. adeo fuisse flagrantem in actibus amoris

Dei, ut actus amoris ejus centesimus tantum unus valuerit, quantùm nonaginta novem antegressi omnes. Lyræus autem *trisagii Mar: lib:* 2. *pausa* 5. actus solos amoris ejus à primo instanti conceptionis per horas viginti quatuor (singulis horis actus amoris Divini singulos proportione dupla eliciendo, v. g. horâ primâ unum, secundâ duos, tertiâ quatuor, quartâ octo &c.) in calculum redigens, ait elicuisse actus non pauciores, quàm octo milliones, trecentos octoginta octies mille, sexcentos & octo, quibus totidem gradus gratiæ accumulavit. Porrò elicuisse eam actus perfectissimos amoris patet insuper ex eo: *primò*, quia sæpiùs vitam Filii sui devovit Deo Patri in holocaustum, in quam proprium habebat jus, adeoq; parata erat hoc bono suo ex amore Dei cedere, qualis oblatio cadere non poterat in aliam creaturam; 2*dò* quia voluit post ascensionem Christi aliquot annos superesse in terris, adeoq; illo bono gloriæ se privare ex amore Dei per hoc tempus, quod bonum gloriæ longè majus erat, quàm aliorum Sanctorum: 3*tiò* quia amore Dei toleravit acerbiora sub cruce Filii, quàm ullus Sanctorum, ut suprà ostensum est, 4*tò* quia amore Dei eos dilexit inimicos, qui graviorem ei injuriam intulerunt, quàm ulli puræ creaturæ inferri potuit, cùm dilexerit injuriatores & crucifixores filii sui, imò suos, nam sicut

ſicut honor filii redundat in parentes, ſic & injuria: quæ omnia conſiderans Joannes Baptiſta Novatus *tom: 2. de eminentia B. V. c. 4. quæſt: 23.* & ipſe pariter ſubſcribit Suario dicens: probabiliſſimum eſſe, quòd B. V. magìs amaverit Deum in hac vita, quàm Seraphim ament in patria, quod ipſum probat *primó* ex majore puritate B. V, *charitas* autem ut loquitur Apoſtolus Tim: 1. *eſt ex corde puro:* *2do* ex illo cantici Mariani exordio: Magnificat anima mea; quomodo enim id fieret, ſi altera creatura plùs amâſſet? *3tio* ex eo quòd Spiritus Sanctus in illam ſupervenerit, & virtus Altiſſimi obumbraverit illi utiq́; magìs, quàm alteri creaturæ, unde ſicut Spiritus Sanctus operatus eſt, ut plùs diligeretur à Deo, quàm alia creatura, ſic operatus eſt, ut plùs diligeret, quàm alia creatura. *4to* quia ad dignitatem Matris Dei pertinebat non minùs puritas, quâ ſub Deo major nequit intelligi, quàm charitas, maximè cùm charitas magìs ſit perfectiva hominis, magìsq́; reddat amabilem. Et ſic quidem ſe res habet cum charitate MARIÆ erga Deum; cui id addi poteſt, quòd ea charitas tanta fuerit, ut non immeritò doceatur, eam ex intenſione actuum amoris mortuam, non autem aliqua alia naturali ex cauſa, utpote, quæ, cùm originaliter non peccârit, morbo obnoxia non fuerit. Cujus quidem ſen-

tentiæ ſunt Albertus Magnus *in Mariali c.* 171. Dionys: Carthus: *lib: de laudibus Virginis art:* 3. Suarez *diſp:* 21. *ſect:* 1. Vega *Palæſtra* 17. *cert:* 4. Barry *tom:* 2. *med: de SS. de Aſſumpt: B. V. punct:* 1. aliiq; longè plurimi, & habetur in revelat: S. Brigittæ *lib:* 6. *cap:* 62. Ex quibus omnibus patet excellentiſſimos fuiſſe actus charitatis in MARIA, imò ipſam ferè converſam eſſe in charitatem, ſicut ait Iacobus de Voragine in Mariali ſerm: 5. *MARIA*, inquiens, *charitas tota eſt, ſicut enim ferrum miſſum in ignem totus efficitur ignis, ſic ipſa charitate ſuccenſa tota facta eſt charitas.*

CHARITAS erga nos.

HAnc ineſſe Virgini nemo eſt, qui negat, niſi qui fortè charitatem ejus nunquam expertus eſſet: quod quidem impoſſibile eſt, cùm gratias ſuas depluat ſuper bonos & malos. Diligi autem nos ab ea, patet tum ex eo, quia juxta communem Theologorum, eadem charitas eſt, quâ diligitur Deus & proximus, tum quia ſcit nos diligi à Deo, idq; amore infinito, Deus enim eſt charitas; hinc ſicut in aliis perfectionibus ſummè accedit ad Deum, ſic & in charitate: & ideo Bern: ſerm: 1. de Aſſumpt: ait, *neminem dubitare poſſe omnino in affectum charitatis tranſiiſſe* MA-

RIÆ *viscera, in quibus ipsa, quæ ex Deo est charitas novem mensibus corporaliter requievit:* quibus addi potest, quod docet D. Bonav: *in 3. dist:* 32. magis nos amari à Virgine, quàm ipsos Angelos, sicut etiam Deus ad plura extensivè bona diligit hominem, quàm Angelos, præterquam enim quôd Angeli duntaxat ministri sint, homines autem filii Altissimi, ipse Deus per Incarnationem non Angelos, sed semen Abrahæ apprehendit, quod etiam supra omnem creaturam Angelicam evexit ad quandam æqualitatem cum Deo in assumpta carne per VERBUM. Ubi iterum vides, quòd B. V. magis hominem diligit quàm Angelum, tum ut conformetur primæ regulæ dilectionis plura invenienti motiva amandi hominem, quàm Angelum, tum quia majorem similitudinem, quæ est radix amoris, invenit in hoc, quàm in illo. Non moror hìc, *scio* enim, verba sunt S. Petri Dam: serm: 1. de Nat: B. V. *o Domina, quia benignissima es, & amas nos amore invincibili, quos in te, & per te Filius tuus summa dilectione dilexit,* quòd *charitas tua,* ut Bern: ait, *nostrorum operiat multitudinem peccatorum:* imò scio perquam verum esse, quod docet B. Amadæus, hom: 3. quòd *charitatem, quâ gloriosa Virgo humanum genus incessanter protegit, ac fovet mentis intelligentia non comprehendat:* si

enim

enim capi non potest, quomodo charitas Pauli cor dilataverit ad Corinthios, quis capiet, quomodo charitas dilatet cor MARIÆ, ut toti mundo opera charitatis exhibeat?

PRUDENTIA.

VIrgo prudentissima vocatur MARIA in Litan: Lauret, & S. Anselmus hymno 2. de B. V. eam vocat *Prudentiam animarum sanctarum*. Porro cùm secundùm Aristotelem prudentia sit virtus, quâ malum cavetur, & eligitur bonum, oportet in B V. summam fuisse prudentiam, utpote quæ semper optimam partem elegerit, & ita mala fugerit, ut nec in veniale unquam inciderit, quemadmodum docet Conc: Claramontanum sub Urbano II, cum Patribus, nominatim Bern: serm: 2. de Assumpt: *Absit*, inquiens, *ut proprii quidquam inquinamenti hæc aliquid habuisse dicatur*. Pet: Dam: serm: de Nat: Virg: *Quid vitii in ejus corpore aut mente v. udicare sibi potuit locum, quæ totius Divinitatis meruit esse sacrarium*. Rich: à S. Vict: super Cant: c. 39. *Omnes Virgines sunt species Christi, Beatissima autem Virgo est specialis species, quæ speciem suam nunquam per aliquod peccatum mortale vel veniale maculavit*: aliisq; longè plurimis. Fuisse verò in eo etiam specialem prudentiam, quam vocat

Ari-

Aristoteles l. 6. Ethic: c. 5. *habitum cum vera ratione circa bona humana activum*, patet ex eo, quòd hæc virtus sit perfectiva hominis viatoris, ac proinde summopere conveniens B. V. ad quam forsan bene referes illam cogitationem ad Salutationem Angeli, inquisitionem Christi perditi inter cognatos & notos &c.

TEMPERANTIA.

EAm ita depingit S. Ambr: l. 2. de Virg: *Quid exequar*, ait, *ciborum parsimoniam, officiorum redundantiam, alterum ultra naturam superfuisse, alterum pæne ipsi naturæ defuisse, illic nulla intermissa tempora, hîc congeminati jejunio dies, & si quando reficiendi successisset voluntas, cibus plerumque obvius, qui mortem arceret, non delicias ministraret.* Temperavit verò sibi Virgo & abstinuit, non ut satisfaceret pro culpa, aut pæna sua; nullam enim unquam incurrere poterat; nec ut peccati periculum evitaret, in illud enim nunquam labi poterat; sed ex puro virtutis & honestatis amore, ideoq; sicut cæteræ virtutes, sic hæc longè nobilissima in illa fuit, cùm eam propter se ipsam, & propter Deum, non verò propter aliquid adjungibile sectata sit.

IUSTITIA.

In-

IUstitiæ nomine venire solet universitas virtutum: nam qui in uno delinquit, reus est omnium, quæ quidem universitas, quàm aptè B. V. conveniat, vidimus alibi: cùm ex D. Pet: Dam: eam virtutum conventum, ex S. Chrysolog: Collegium sanctitatis, fontem totius justitiæ, librum in quo omnium justorum virtutes continentur, ac tantùm non ipsam *perfectam Iustitiam* diximus cum Origene, *hom: 1. in diversos*. Juxta quod dicitur Eccli: 24. *In me omnis gratia viæ, & virtutis, in me omnis spes vitæ & virtutis*. Hic pro speciali ori virtute accipiendo Iustitiam, ajo & hanc in altissimo gradu possessam fuisse à Virgine, nec enim jus alterius lædere unquam potuit, cùm peccatum in eam cadere nunquam potuerit; quin potiùs tribuit unicuiq; jus suum, quod maximè *claruit in ea*, ait autor stellarii, B. V. lib: 7. part: 2. a. 3. c. 6. *quando pro satisfactione justissima primi parentis, & totius generis humani filium suum obtulit in passione: ubi pro fructu vetito & ablato, fructum uteri sui ad pendendum in ligno dedit. Ecce justissima restitutio, & summa supererogatio pro fructu modici valoris Deum dedit infiniti valoris, & pro unico quadruplum reddidit scilicet offerens carnem in passionem, sanguinem in effusionem, animamq; Filii sui in mortem, & Divinitatem

tem in nostram reconciliationem. Hæc ille: & post pauca: *Ipsa profectò illud Evangelium implevit: si quid aliquem defraudavi reddo quadruplum, licet non ipsa Beata Virgo fraudem fecerit, sed Adam pomum rapuerit juxta illud psalmi: Quæ non rapui, tunc exolvebam.*

FORTITUDO.

FOrtitudo & decor indumentum mulieris fortis est *prov:* 31, quod indumentum cumprimis servit MARIÆ, ipsa enim induit fortitudinem, & præcinxit se virtute ex alto, roborataq; est, ut faceret magnalia, quæ nemo alius facere potest, primò quidem ut leonem illum de tribu Iuda, qui ad nullius pavebat occursum, vinceret: ut Deum, cujus, ut dicitur Num: 23. *fortitudo similis est rhinoceroti*, domaret, faceretq; illum in gremio suo mansuescere; ut Deum illum ultionum, qui cornu justitiæ suæ terribilis erat, cogeret ad media pacis, extortoq; pro obside Filio Unigenito ex illo efficeret Patrem misericordiarum, & Deum totius consolationis. Quò servire videtur audax illud dictum S. Bernardini Sen: tom: 4. serm: 5. c. 4. *Plùs, ait, potest facere B. V. de Deo, quàm Deus de se ipso:* Virgo enim fecit Deum hominem, finitum, mortalem, modicum, temporalem, palpabilem, sensibilem, visi-

visibilem, sub forma servi, suppositum sub natura creata, quod Deus facere non potest, utpote, qui generare nequit, nisi Deum æternum, infinitum, immortalem, &c. Induit dein fortitudinem Virgo, quia felicius quàm mulier illa Thebes fragmine molæ desuper jacto confregit caput Abimelech, aut 2. *Reg*: 20. quàm mulier illa in Abela Sebæ crudelissimi Regis David inimici caput amputavit; aut deniq; quàm fortis illa Iahel Sisaræ caput, ipsa inferni hostis contrivit: digna proin, cui accinatur millies illud *Iud*: 5. Benedicta inter mulieres Iahel &c. Induit fortitudinem, quia mortem, quam fæmina intulit, fæmina superavit. Quid videbis igitur in Sulamite, nisi choros castrorum, qui cùm pro aliquo pugnant, fit in eo, quod dicitur *ps*: 9. Cadent à latere tuo mille, & decem millia, à dextris tuis, ad te autem non appropinquabit. Deniq; quid non potest, quæ omnia potest in eo, qui illam confortat Et hæc quidem fortitudo in agendo est in Virgine: est & illa, de qua Aristoteles: *Ii maximè*, inquit, *fortes dicuntur, qui tristia pro virtute tolerare nôrunt.* Quæ quidem quòd in ea heroica fuerit facilè colliges tum ex iis, quæ fortiter tulit totâ vitâ suâ, tum vel maximè, quando sub cruce Filii firma stabat, eo rerum articulo, quo columnæ reliquæ fidei ruebant omnes. *Stabat*, ait Ambrosius, de instit: Virg:
juxta

juxta crucem Filii non degenere Mater spectaculo, quæ non metueret peremptorem, pendebat in cruce Filius, Mater se persecutoribus offerebat: aut ut enucleatiùs S. Antoninus: 4. p. Theol: tit: 15. cap: 41. § 1. *Stabat verecunda, modesta, lachrymis plena, doloribus immersa, ita tamen Divinæ voluntati conformis, quòd (ut Anselmus ait) si oportuisset ad implendam, secundùm rationem, voluntatem Dei, ipsa Filium in cruce posuisset, atq; obtulisset.* Ex quo sequitur summam in Virgine fuisse fortitudinem, *fortitudo* enim *summa* juxta Platonem est, *mortem non timere*, ego addo, mortem mortibus mille acerbiorem, mortem talis ac tanti Filii.

PAUPERTAS.

De S. Francisco Seraphico habet S. Bonav: *vit: S. Franc:* c. 7. quòd Christi Domini paupertatem, & Matris ejus frequenter cùm lachrymis revocârit in mentem: inde hanc virtutum asserens esse reginam, quia in Rege Regum, & in Regina matre ipsius tam præstanter essulsit. Porrò pauperem vitam esse actam à Virgine, idq; ex voto speciali paupertatis docet Vega *pal:* 19. *cert:* 18. aliiq; quod ipsum etiam ex revelationibus S. Birgittæ adducit P. Franciscus delaCroix in suo hortulo Mariano: per quam quidem paupertatem ex-

emplo præluxit iis, qui cùm reliquissent omnia, beati esse meruerunt. Quare ipsa de se apud eandem S. Birgittam *revel: lib: 7. c. 25.* testatur. *Ego & Ioseph nihil reservavimus nobis, nisi necessaria vitæ ad honorem Dei, reliqua dimisimus propter amorem Dei.* Reflecte te super stabulum Bethleemiticum, & viles pannos, super egenam ejus in Ægyptum profectionem, in Nazareth mansionem, & fateberis, quia egena & pauper est Domina mundi, Regina cæli, quasi exinanivisset se unà cum Christo, ut formam ancillæ susciperet.

CASTITAS.

HÆc iterum MARIÆ propria virtus est, imò peculiaris nota, per quam ab aliis discernitur, ideoq; propter ejus excellentiam Virgo Virginum appellatur: quod decus quamvis impius illi Helvidius auferre tentârit, uno tamen ore sacrilegum omnes damnant, in tantum, ut Epiphanius *hæresi 78.* exclamet: *Quis unquam, aut quo sæculo ausus est proferre nomen Sanctæ MARIÆ, & interrogatus non statim intulit Virginis vocem? Abrahamo impositum est epithetum amicus Dei, & non dissolvetur, Iacob vero ut Israël vocetur, & non alterabitur, & S. MARIÆ vox Virgo, & non mutabitur, impolluta enim permansit.* Fuit verò hæc vir-

virtus in Virgine longè excellentiſſima, propter quod & Virgo ſingularis dicitur, nam non tantùm à primo rationis uſu propoſitum firmum habuit ſervandi Virginitatem, ut docet S. Thom: Bonav: Scotus aliiq; plures apud Suarium *in* 3. *p. tom*: 2. *d.* 6. *a.* 4. ſed etiam votum, primaq; fuit in vovenda Virginitate: quod docent Patres, Rupertus l. 3. in Cant: inquiens: *Votum Virginitatis prima vovisti*, Beda: in c. 1. Lucæ *Prima fœminarum tantæ ſe virtuti mancipare curavit*. S. Ambr: l. de inſt: Virg: c. 5. *Egregia MARIA, quæ ſignum ſacræ Virginitatis extulit, & intemeratæ Virginitatis pium Chriſto vexillum levavit*: ob quod forte Aug: tract: 10. in Evang: Ioan: docet, quòd à *MARIA cæpit decus Virginum*, & Epiph: hæres 78. aliiq; vocant *Principem Virginitatis*. Fuit etiam in Virgine hæc virtus longè fæcundiſſima, præterquam enim, quòd cum ea Maternitas Dei optimè cohæſit, ſitq; eadem & Virgo, & Mater immaculata, Mater & incorrupta, Mater ejus, qui in cælis eſt in ſinu Patris ſecundùm Divinitatem, in terris in ſinu Matris ſecundùm carnem, genitus ab æterno ſine matre, in tempore ſine patre; mirè inſuper fæcunda fuit hæc Virginitas, nam ut docent Patres & Theologi non pauci, ſolo aſpectu aliis caſtitatem inſtillabat. Sic S. Ambr:

lib:

lib: de inst: Virg: c. 7. *Tanta*, inquit, *erat ejus gratia, ut non solùm in se Virginitatem servaret, sed etiam si quos inviseret, integritatis insigne conferret*. Idem docet S. Bonav: S. Thom: in 3. dist. 3. aliiq; docentes *ex illo venerando vultu*, verba sunt Canisii 2 de Deip: c. 3. *& corpore, Divinum aliquid, & virgineum frigidumq; prodiisse rorem, qui ad impuritatem libidinemq; omnem spectantium restingvendam & arcendam conferret, ac quasi Virgines germinaret, aut certe ad majorem vitæ honestatem conferret*. Albertus verò Magnus apud S. Antoninum 4. p. tit: 15. c. 20. § 10. *Beata Virgo*, ait, *est Mater omnium in Virginitate, quia prima sine præcepto, sine consilio, sine exemplo gloriosum Virginitatis munus Deo obtulit, & per votum Virginitatis ab ea emissum, opprobrium Virginitatis abstulit, quia maledi[c]ta fuit in lege sterilis, & eam in se consecravit, & sic omnes Virgines per imitationem sui genuit*. Deniq; loquor cum S. Ildephonso serm: 1. in Nat: B. V. *Virgo tam Sancta fuit, ut ad eam venire Spiritus Sanctus sit dignatus; tam speciosa: ut eam Deus elegerit sponsam: tam casta: ut potuerit esse Virgo post partum*.

OBEDIENTIA.

VIrtus Obedientiæ pariter fuit in MARIA modo perfectissimo, actus enim ejus in vita fuerunt excellentissimi: talis fuit actus, quo obedivit Angelo, de quo non immeritò dicit S. Bernardinus, *serm: 15. de fest: B. V.* quòd MARIA plùs meruerit actu fidei & obedientiæ, quo Angelo assensa est, quàm meruerint omnes Sancti omnibus actibus & meritis suis, quia eo actu merebatur de congruo illam gratiam & gloriam, quæ Matri Dei competebat. Quò etiam respicere videtur illud Augustini. serm: 13. de temp: *Christum non concupiscentia carnis, sed obedientia genuit mentis; per illam omnes perditi sumus, per hanc omnes ad pristinum statum cæpimus revocari.* Et illud Epiph: sicut cùm Eva esset Virgo transgressa est per inobedientiam mandatum, è contrario per Virginem MARIAM obedientiæ gratia facta est. Quanti æstimabis actum illum, quo obedivit Iosepho voluntatem Dei ipsi exponenti revelatam sibi per somnium, ut fugiant in Ægyptum? quanti cùm ad nutum profani Cæsaris mandantis describi universum orbem concessit in Bethleem? Certè cùm sub cruce staret, actum supremum elicuit obedientiæ, ait Gerson, Patri Filium offerendo, & in ejus acerbissima morte volunta-

tem suam Divinæ conformando: audeo ego plus dicere, non tantùm facta est obediens usq; ad mortem Unigeniti sui, sed etiam post illam, cùm enim ob dolores in passione Filii, naturaliter mori deberet victima unà cum Filio, Deusq; illam superesse vellet, credo quòd suam voluntatem Divinæ conformans obediensq; facta sic volenti Deo, vixerit reliquum vitæ in eo statu, qui cùm sit status obedientiæ, melior est quàm victima.

HUMILITAS.

PRima virtus, *si Mechtildi credimus*, ait noster Pater Ioannes Bonifacius, lib: 1. de hist: Virg: c. 7. *quâ se Virgo rationis compos exercuit, humilitas fuit*: hâc ita modestè de se sentiebat, ut cùm tot gratias haberet, nulli creaturæ se prætulerit: hinc ea virtus ita propria est illi, ut nulla magis, posset q; jure dici; virtus B. V. esse humilitas: quamq; solam in se agnoscit Virgo humillima, dum Deum magnificans inquit: Respexit humilitatem ancillæ suæ; humillima fuit corde, infra omnes se demittendo, & æstimando; ore ancillam se fatendo; opere: in domo Zachariæ serviendo. Profunditatem virtutis hujus scire vis? audi quod Bern: Sen: tom: 2. a. 1. c. 3. habet. *Sicut nulla post Filium Dei creatura ascendit in gratiæ dignitate, sic nec tantum descendit*

ſcendit in abyſſum humilitatis profundæ: quia *quantò magis creſcebat in omni virtute*, verba ſunt Richardi à S. Laur: lib: 7. de laud: Virg: *plùs creſcebat per humilitatem in ſua reputatione juxta conſilium Eccli: 3. Quantò major es, humilia te in omnibus, & coram Deo invenies gratiam.* Et quamvis non negârim eximias alias virtutes fuiſſe in Virgine, humilitas tamen in ea longè magìs eximia eſt: illa enim eſt, de qua Alb: M. tract: ſuper Miſſus *Humilitas B. V. Deum quodammodo ſuperavit, quando eum de cælis ad terras humilitate deducens, charitate vulneratum, pariter & humiliatum vulneratumq́ in ſua Virginitate incluſit:* hæc illa eſt virtus, propter quam virtutes aliæ Virginis Domino placuerunt, nam ut Bern: habet, nec Virginitas MARIÆ Deo placuiſſet ſine ejus humilitate, &: MARIA etſi de Virginitate placuit, tamen de humilitate concepit; fuit quippe, ut loquitur S. Fulgentius epiſt: ad Probam ipſa *Virginitas Virginitatis ejus humilitas.*

Non moror in enarrandis ulterioribus virtutibus Marianis, cùm ſciam poſtquam multas enumeravero, plures longè ſuperfuturas; talis quippe fuit MARIA, ut ejus unius vita omnium diſciplina ſit. Attingit aliquas in compendio Ambroſius, lib: 2. de Virg. dum ait: *Sit*

vobis tanquam in imagine descripta Virginitas, vitaque MARIÆ, de qua velut in speculo refulget species castitatis, & forma virtutis: hinc sumatis licet exempla vivendi, ubi tanquam in exemplari magisteria expressa probitatis, quid corrigere, quod effugere, quid tenere debeatis, ostendunt. Primus discendi ardor nobilitas est Magistri. Quid nobilius Dei Matre? quid splendidius eâ, quam splendor elegit? quid castius eâ, quæ corpus sine corporis contagione generavit. Nam de cæteris ejus virtutibus quid loquar? Virgo erat non solùm corpore, sed etiam mente, quæ nullo doli ambitu sincerum adulteraret affectum: Corde humilis, verbis gravis, animi prudens, loquendi parcior, legendi studiosior, non in incerto divitiarum, sed in prece pauperis spem reponens: intenta operi, verecunda sermone, arbitrum mentis solita non hominem, sed Deum quærere, nullum lædere, bene velle omnibus, assurgere majoribus natu, æqualibus non invidere, fugere jactantiam, rationem sequi, amare virtutem. Quando ista vel vultu læsit parentes? quando dissensit à propinquis? quando fastidivit humilem? quando derisit debilem? quando vitavit inopem? eos solos solita cœtus virorum invisere, quos misericordia non erubesceret

ret, neq; præteriret verecundia. *Nihil torvum in oculis, nihil in verbis procax, nihil in actu inverecundum, non gestus fractior, non incessus solutior, non vox petulantior, ut ipsa corporis species simulachrum fuerit mentis, figura probitatis,* &c. &c. Quid superest nisi, ut re probemus, quod Christus exegit à Judæis: si filii Abrahæ estis, facite opera Abrahæ, si MARIAM Matrem esse vultis, æmulamini eam in virtutibus ejus; quia aliàs, qui genitoris non facit opera, ut bene Petrus Ravennas ait, negat genus: nec ipsa agnoscet filios, qui nihil de virtute matris habebunt in moribus. Jacobum justum, fratrem Domini vocat Evangelium: bene mehercle frater Domini, filius MARIÆ dicitur is, qui justus est. Justitias ejus indue moribus, & Filius MARIÆ, ac frater Domini es. *Ipsam,* loquor cum S. Bonav: in stim: Div: am: cap: 7. *Matrem Dei & peccatorum tanquam bonus ac devotus filius in omnibus pro posse studeas imitari, tunc enim procul dubio te sibi tanquam matri veraciter exhibebis, & ipsa te tanquam filium suum veraciter adjuvabit.*

CAPUT 3tium.

De Filio MARIÆ per Doctrinam.

TErtium genus filiationis, secundùm Augustinum, *ubi suprà*, est filiationis per doctrinam, quæ quidem quòd detur, patet ex illo Apostoli: *filioli quos iterum parturio:* & iterum: *per Evangelium ego vos genui*, & ex eo, quòd Patres vocemus, quos doctores habuimus; qui dum nos erudirent ad justitiam, filios Deo pepererunt, quorum semen est verbum Dei, conceptus gratia, vita fides & virtus. Ex quo imprimis patet, quòd filiatio hæc in charitate & gratia radicetur, possintq; Patres talium jure usurpare illud Ambrosii l. 1. offic: c. 7. dicentis ad tales filios: *Dulciùs & vehementiùs simul ego vos diligo, quos Evangelio genui, quàm si conjugio suscepissem, nam vehementior & dulcior est ad amorem gratia, quàm natura.* Dulciùs ait, quia non est in hac filiatione timendum, quod in naturali generatione inveniri dolet Menander: in Epicteto. *Aut vivere oportet solum, ac cælibem, aut natis jam liberis mo-eri parentem, adeo omnis deinceps vita acerba est.* Simul, ait, vos diligo, quia mutua est

pa-

parentum & filiorum horum charitas, nec poteſt vereri alteruter, quod in Leone ſuo timuit Baſilius Imperator, ne alter alterum pudefaciat: Vehementiùs, *ait*, vos diligo, quia motivum diligendi incomparabiliter majus habeo, quàm naturalis genitor.

Amorem equidem filiorum carnalium cùm ad originem revoco, ut plurimùm inde manare reperio, quia alium ſe in filio invenit Pater, hunc autem ſæpe tam probroſum monſtroſumq; ut neceſſe ſit Patri maculam affricare, diceréq; hunc filium eſſe mali corvi malum ovum, filium quem ebrius ſeminavit Pater. At demus frugi eſſe filium, hunc talem Pater amat, imò amat ſe in illo, & amat moriturus, ſe moriturum in filio morituro, per quod amori multùm decedit: quod ſecùs evenit in filiis per doctrinam, horum enim Patres amant filios, imò ſe in filiis victuris ſemper, ſemper victuros; probos ſemper in probis, ſanctos in ſanctis: qualem quidem filiationem cùm conſidero, propè eſt, ut renovem votum illud Ariſtidæ Athenienſium Oratoris in Platonica pro 4. viris dicentis. *Vim dicendi cum proba & modeſta vita, qualis in hominem maxima poſſet cadere conjunctam malim, quàm decies millies Darium Hyſtaſpis filium fieri.* Fac verò filios ejuſmodi ita creſcere in bono, ut Patribus æquales fiant, vel majores, dicaturq;

turq; de filiis, quod de Honorio Imp: Claudianus in 4to ejus consulatu,

Aspice, completur votum, jam natus adæquat
Te meritis, & quod magis est optabile, vicit.

Putes te capere posse mutuum amorem Patris gaudentis, quia hic est filius ejus dilectus, quem genuit: filii Deum benedicentis, quòd talis solis se voluerit esse radium, talis stirpis surculum, talis Patris filium.

Hæc ideo dicta sunt, ut filium MARIÆ eò perducam, ut ne dimittat legem Matris suæ, sed quæ placita sunt ei, faciat semper.

De Salomone ac matre ejus Bersabee ex mente Iansenii intelligitur illud prov: 31. *Verba Lamuelis Regis, visio, quâ erudivit eum Mater sua*: quod ipsum ex mente Mendozæ tom: 1, ad c. 4. annot: 12. sect: 1. n. 24. intelligi potest de Christo & MARIA: potest autem non incongruè accipi de Matre Dei docente justitiam filios suos, quia nempe erudit eos, & docet legem vitæ & disciplinæ toties mater, quoties filios Deo gignit obedientes mandatis ejus, sicut è contrà toties Patres in malo dicuntur, qui diabolo parturiunt filios gehennæ per seductionem, & filii diaboli, quoties faciunt opera, & consilia ejus.

De Ochozia Rege testatur Scriptura, 2. Par: 22. quod impiè vixerit, quia *mater ejus* (Attalia) *impulit eum, ut impiè ageret.*

De

De Filio MARIÆ contrarium asseveret necesse est, mater enim ejus impellit eum, ut bene agat, quoniam, eâdem Scriptura teste, *Sap.* 7. ipsa est omnium bonorum mater: Joannem aspice dilectum illum Christi discipulum, bonitatis omnis ac justitiæ exemplar: & perpende, unde ei tam consummata sanctitas? dicant, quid velint alii; ego opinor, quia Filius MARIÆ erat, ac ne latum ungvem discedebat à doctrina Matris, ideo tam consummatæ virtutis virum factum esse. Aspice alios in bono fundatos, & justitiæ omnis plenissimos, filii MARIÆ erant, ideoq; venerunt illis omnia bona pariter cum illa. Deniq; verum est, quòd omnis sanctus inspicit, & facit secundùm exemplar, quod ipsi in monte monstratum est, id est, in operibus MARIÆ; hæc una illi norma sanctitatis, perfectionis speculum, exemplar absolutissimum virtutum omnium. Et hæc ratio videtur, cur Patres eam vocant Magistram magistrorum, prophetissam prophetarum, doctricem doctorum, aut ut Albertus M. doctricem disciplinæ Dei, cui debetur prædicatorum aureola, quæ facto non verbo prædicavit, imò verbo, nec solùm creato, sed etiam increato, prædicatq; usq; nunc, dum docet justitiam plures.

Notæ sunt apud Philosophos universales Ideæ Platonis, quas hic participari putabat à rebus creatis omnibus, ponebatq; in cornibus

aut

aut concavo lunæ. A MARIA, tanquam ab Idæa omnis boni participat omnis filius, quidquid habet boni, & virtutum, mater enim ejus impellit illum, ut bene agat, ideoq; se jactare potest, se quidquid boni habet derivâsse totum à MARIA, sicut filii Evæ, cùm quid malè operati fuerint, vel aliquid adversi iis contigerit, incusare solent Evam primam peccatricem. Neq; abs re hoc faciunt filii MARIÆ, nam virtutes eorum, quasi quædam guttæ sunt è mari gratiarum deprompta, quæ pertinent ad reliquam congregationem aquarum; sunt quasi quædam scintillæ ignis, quibus in iis ardet lampas Mariana, quasi quædam participatio plenitudinis & bonitatis MARIÆ.

A Græcis B. V. dicta est Hodogetria, seu quæ ducit nos in via, ferè sicut à veteribus Iuno dicta est Iterduca, seu dux Itineris teste Alex: ab Alex: *gen: dier: lib: 6. c. 4.* Hodogetria MARIA ducit filios suos in via virtutis prævià stellâ suâ, id est, præviis virtutibus suis, sicut olim Magi ad Christum ducti erant; ducit sicut populum Isräel in terram promissionis per columnam nubis obumbrans in die mala, per columnam ignis illuminans in nocte, & periculis erroris, ducit sanctis inspirationibus suis, ac salutari doctrina sua, veluti filo quopiam Ariadneo ad terminum sanctitatis. Hanc tu hodogetriam seu ductricem si sequi vis, non con-

contemnendum putabis, quod docuerit te Mater tua, secùs si faxis, vereor, ut fictè sequaris, audiasq; dici de te: *Qui non sequitur me, non est me dignus.*

Israëlitas inflaverant ducti à Patriarchis natales, quorum vitam moribus non exprimebant, nec doctrinam sequebantur, ideoq; ad aliam originem eos Salvator refert, dum ait: Vos ex patre diabolo estis; si quippe filii essetis Abrahæ, faceretis opera Patris Abrahæ, sequeremini doctrinam. Supra quod reflectens se S. Ambrosius serm: 2. in ps: 118. *Nihil tibi*, ait *proderit, si dicas, Abrahæ sum filia. Abraham quidem salvatur, sed te nobilitas generis non juvabit. Non te decipiat data Patribus repromissio. Non suscipio prærogativam generis, nisi videro congruentem generi morum nobilitatem.* Nisi hæc, quæ docuerunt, & fecerunt patres tui, opere exequaris. Vis tibi prosint merita majorum, intuens exitum conversationis eorum, imiteris fidem. Innuit hoc Sapiens, dum ait prov: 29. *verbum legis custodiens Filius, extra perditionem erit*: quod verissimum est imprimis in eo, qui legem vitæ & disciplinæ ad amussim servat, talis enim perire nullo modo potest, quia impellit eum Mater sua, ut bene agat, ac cùm bene fecerit omnia, suorum benefactorum mercedem accipiat.

Cu-

Custodi legem Matris tuæ fili MARIÆ, si ab ea projici non vis, nec fieri filius perditionis: puta tibi dici ab ea illud Isaiæ. 46. *Audite me domus Iacob, & omne residuum domus Israël, qui portamini in utero meo, qui gestamini à mea vulva usq; ad senectam, ego ipse & usq; ad canos ego portabo, ego feci, & ego feram, ego portabo, & salvabo*: ad quod agendum frustra alia adduxerim motiva, præterquam, quod filius sis MARIÆ, hoc tibi pro omnibus motivis maximum esse debet, incitareq; te ad implenda omnia, sicut incitavit P. Roberthum Southvellum, illum, qui anno 1595. gloriosus Martyr pro fide occubuit, qui pro incitamento virtutis unum id scribere solebat, *B. V. filius effectus es*. ut habet Nadasi in annal: Mar: At videris mihi dicere, te nihil libentiùs facturum, quàm quod vult mater tua; nescire autem, quæ sit voluntas ejus beneplacens, nec esse dignum, ut ipsa loquatur tibi facie ad faciem. Macte sis animo, quisquis ejusmodi bona verba loqueris; exhibebo tibi alphabetum doctrinæ Marianæ concinnatum ex doctrinis variis datis à B. V. si sapis ita illud accipies, ut tibi addiscendum sit, data enim doctrina uni filio à matre, cordi esse debet omnibus.

CAPUT 4tum.

Alphabetum doctrinæ Marianæ datum ab ipsa filiis per doctrinam.

Accuratè fac opera tua.

P. Alphonso Cortes petenti B. V, quo loco esset apud illam, & apud filium ejus? respondit pia Mater: Bono eum loco esse, sed satageret, ut sua omnia majore accuratione perficeret, & expoliret: *Nadasi in annal: Marian*: Bono apud matrem loco est Filius MARIÆ, id tamen adhuc ab eo desideratur, ut æmulans charismata meliora, quæ facit, faciat accuratissimè. Germen iners opprobrium est radicis, & ignavus catulus dedecus Matris suæ: qui facit opus Dei negligenter, maledictus est secundùm Scripturam; qui autem filius MARIÆ est benedictæ, benedictionibus repletur, quia facit opera Dei exactissimè secundùm monitum Scripturæ Eccl: 33. *In omnibus operibus tuis præcellens esto, nec des maculam in gloria*, habetq; præfixum oculis suis exemplum animalium illorum, quæ ibant, & revertebantur in similitudinem fulguris coruscantis *Ezech*: 1. & procedit, sicut lux splendens crescit

scit usq; in perfectum diem. Et meritò id quidem: persuasum enim habet non posse eum esse de genere filiorum, qui cùm mollis sit & dissolutus in opere suo, frater est sua opera dissipantis; si enim non potuerunt esse è numero offerendorum Deo primo-genita asini, cùm tamen aliorum omnium animalium primo-genita immolanda essent, sicut dicitur Exod: 11. *Primo-genitum asini mutabis ove*; quomodo poterit esse de numero filiorum MARIÆ accuratissimæ, qui cùm piger sit in opere suo, in asinum degeneravit? credo ego si talis esset in utero ejus, deberet esse abortivum à corde, siquidem Deus ipse eum, qui tepidus est, incipit evomere. Ignea Mater igneam vult habere prolem, id est semper in operibus igneis, ferventissimisq; occupatam, quæ, sicut ignis nunquam remittit de calore suo, nunquam deficiat à fervore. Deniq; *amor IESV nobilis*, ait Thom: à Kemp: lib: 3. de imit: c. 5. n. 3. (& MARIÆ) *ad magna operanda impellit, & ad desideranda semper perfectiora excitat*: si enim tepidè operetur, non est amor, sed illusio.

Beneficentia erga pauperes.

REginam quandam docuit B. V. inter cætera: *ut daret eleemosynam cum hilaritate*: ut habetur in revel: S. Birgittæ. l. 8.

8. c. 57. Misericordem misericordiæ mater vult esse filium suum, *ubi enim veram misericordiam invenit*, loquor cum S. Leone, *ibi imaginem suæ pietatis agnoscit.* Characteristica hæc est filiorum MARIÆ, & nota verissima, ex qua cognosci possit filiatio verissima, ferè sicut cognosci dicit Aug: in ep: 1. Ioan: tract: 6. inhabitantem Spiritum Sanctum ex dilectione fratris. *Vnde* ait, *cognoscit quisq; se accepisse Spiritum Sanctum? intelligat cor suum, si diligat fratrem, manet Spiritus Dei cum illo.* De Filio MARIÆ accipe illud Iob 31. *Ab infantia mecum crevit miseratio, & de utero matris meæ egressa est mecum*: illius collactanea est, vivitq; ac moritur cum illo: hinc est, quòd sicut Virgini nihil tam proprium est, quàm nomen Matris misericordiæ, sic huic nihil ita magis competit, quàm opera misericordiæ; imò sicut ipsis filiis nihil magìs placet in Virgine, quàm hoc ipsum nomen Matris misericordiæ secundùm illud Bernardi: serm: 4. de Assumpt: *Nos quidem servuli tui Virgo Beata, in cæteris virtutibus congaudemus tibi, sed in hac potiùs nobis ipsis; laudamus Virginitatem, humilitatem miramur, sed misericordia miseris sapit dulcius, misericordiam amplectimur chariùs, recordamur sæpiùs, crebriùs invocamus*: Sic & ipsi Virgini nihil

pu-

putant placere magis, quàm opera misericordiæ. S. Ioanni Eleemosynario videndam se obtulit misericordia Dei dicens: *Ego sum prima filiarum Regis, si me possederis amicam, ducam te in conspectum Imperatoris, etenim nemo habet apud eum potestatem, sicut ego; ego quippe feci eum in terris hominem fieri, & salvare homines.* Leontius in vita. Prima filiorum MARIÆ virtus est misericordia, hanc possident amicam, hæc eis potestatem confert filios Dei fieri, & obtinere eam beatitudinem, quâ Beati censentur misericordes, quia misericordiam consequuntur.

Contentionum fuga.

INter Regem Aragoniæ, & Raymundum Comitem S. Ægidii exarserant odia internecina *ut refert Courcier ad annum* 1183. quæ pientissima Mater volens componere, apparet pauperi fabro, tradens ei certam imaginem cum effigie sua habente Christum parvulum in sinu cum inscriptione: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi, dona nobis pacem*, mandatq; eam exhiberi altercantibus: quod cùm factum esset, optata pax secuta est. Mariani hæc uteri prærogativa esse debet, ut nullus cum fratre frater collidatur, nullus Jacob cum Esau colluctetur, filii pacis in eo concipiuntur, ideoq; super eos requiescit pax, quæ

ex-

exuperat omnem ſenſum. Cælum nimirum eſt domus MARIÆ, in quo locum non habet ira & contentio, & ſi qua ſtella fuit, quæ dicitur abſynthium, pridem de cælo cecidit. Foras canes mordentes ſe invicem è Sacrario Spiritûs Sancti, & Amoris! Nunquam cum matre in gratiam redii dicebat Ducum Athenienſium aliquis, eò quòd matrem nunquam vel verbulo læſerit: nunquam pariter cum matre & fratribus in gratiam redîi, debet dicere filius mitiſſimæ inter omnes, eò quòd neſciat iraſci innocens columba, nec ipſa Mater filios olei ſuos ſinat inter ſe collidi, ſed ſi quando aliqua in iis inſurgat commotio, maturè provideat, ut ſopiatur: quod factum cum duobus illis noſtris Novitiis, qui cùm per viam (peregrinabantur ſecundùm morem Religionis) aliquantùm contenderent: ab apparente matre pacis & dilectionis, pauculis his increpiti ſunt: *Filii! maturè inter vos lites & jurgia?* & ad mutuam concordiam reducti ſunt. *Refert Courcier in negotio ſæculorum anno* 1590.

Dilectio Dei.

QUamvis creata omnia nos incitent ad amandum Deum ſecundùm illud Aug: 10. Conf: c. 6. *Cælum & terra, & omnia quæ in eis ſunt, ecce undique mihi dicunt, ut te amem:* ſingulariter tamen hoc facit B. V.

provocans pullos suos ad amandum bonitatem tantam Dei. Facit verò hoc non exemplo solùm suo sanctissimo, sed & doctrinâ providentissimâ: qualiter, ut cæteros taceam, docuit Franciscam Virginem Viterbiensem; eniteretur *ut in dies in amore Dei cresceret*, ideoq́; visa est vibrare in illam scintillas igneas ignei amoris, ut refert Maraccius in liliis Marianis: *pag*: 118. unde non immeritò filios MARIÆ, filios pulchræ dilectionis dixerim, in cælis enim Patrem habent, qui totus est charitas; Matrem, in qua usq́; in finem dilectionem suam Deus demonstravit; confratrem filium dilectionis, qui à Patre procedit; amicum spiritum amoris; secundo-genitum autem confratrem eum ex discipulis quem diligebat IESUS, quiq́; prærogativâ amoris præcipui cæteris altiùs meruit honorari. Filii MARIÆ ex Societate amantium sunt, ex congregatione amoris, in qua quisq́; super uno hoc contendere potest cum altero, quisnam plùs Deum diligat. Quo in loco aptè applicare possem illud P. nostri Balthasaris Alvarez viri judicio S. Theresiæ tanti, ut eo sanctiorem ejus sæculo Ecclesia Dei non habuerit dicentis: *domos religiosas videri sibi nosocomia Divinâ charitate vulneratorum*; *fornaces*, *in quibus innumerabilibus Dei donis quasi subditis ignibus corda quantumvis lapidea amore solverentur*: refert

fert P. Ioan: Rho exempl: 15. Sed hîc de eo agere non vacat, cùm super hac materia sufficienter egerimus suprà.

Evcharistiæ frequens & devota sumptio.

ISidorus Thessal: *hom: de annunc:* habet: B. V. summè expetere, ut carne Christi satiemur: hoc ipsa docuit S. Gertrudem *lib:* 4. *insin: Div:* c. 49. visa insuper, cùm moniales communionem accederent, cujuslibet dexterum latus cingere, ac contegere pallio suo floribus orationum ornato, dicereq; Christo. *Fili in gratiam mei hanc respice*, Christo perquam placente sibi in animabus Sanctis. Dixi suprà Evcharistiam esse panem filiorum MARIÆ, nemo iis frequentiùs accedit, suscipit dulciùs, desiderat vehementiùs. *Sacramentum hoc amoris* est, ut habet S. Thom, vel ut Bern: *est amor amorum*, filiis ergo & amicis cumprimis præparatum, antequam alieni comedant illud. Sicut novellæ olivarum in circuitu mensæ Domini, filii MARIÆ in Evcharistiæ sumptione. *Nonne videtis?* verba sunt S. Chrysost: hom: 62. ad pop: *quanta infantes animi alacritate mamillas arripiunt, qua pressione papillis infigunt labia, non minore quoq; cupiditate ad hanc mensam*, & ad hujus calicis spiritualem accedunt papillam

filii MARIÆ, imò verò majore desiderio quasi lactantes pueri gratiam spiritûs sugunt; unus eis dolor, una mæstitia, si hoc alimento spirituali priventur, exemplo Christi, qui & ipse desiderio desideravit hoc Pascha manducare. Unus eis iste cibus remedium contra omnia adversa est: nam & contra mala suborientia scutum est, & pro bonis augendis conservandisve auxilium est: esuriunt: panis vivificus famem eorum satiat; aliqua peccati labecula fædantur, panis iste iis fons est puritatis, quo mundentur: ægrotant, primum hoc iis, & efficacissimum pharmacum est. Quam quidem eorum aviditatem cùm considero, videntur mihi suo propè exemplo demonstrare, quod toties propè Evcharistiam accedere debeam, quoties parvuli ubera Matrum accedunt: dicentes re ipsa illud Aug: in Matth: *Accipe quotidie: quod quotidie tibi prosit: sic vive ut quotidie merearis accipere, qui non meretur quotidie accipere, non meretur post annum accipere.* Et illud Ambrosii: lib: de Sacram: *Si quotiescunque effunditur sangvis, in remissionem peccatorum funditur, debeo illum semper accipere, ut semper mihi peccata dimittantur; qui semper pecco, semper debeo habere medicinam.* Iterum si modum accedendi, & præparationem cordis eorum ad sumendum Sacramentum inspiciam; videntur mihi

mihi non minorem velle præmittere præparationem, quàm si ingressuri essent regnum Dei; idq́; rursus exemplo Christi, qui manducaturis Evcharistiam discipulis prævie pedes lavit, quod non fecerat ad visionem gloriæ suæ admittendis in monte Thabor: imò videntur mihi optare cum tanta præparatione accedere, cum quanta Christum suscepit in utero sancto suo Mater Dei: ideoq́; ut plurimùm sumendæ Evcharistiæ præmittunt illam ex Thoma de Kempis orationem lib: 4. c. 17. de Imit: Christi: *Domine Deus meus, creator meus, & redemptor meus, cum tali affectu, reverentia, laude & honore, cum tali gratitudine, dignitate & amore, cum tali fide, spe & puritate, te affecto hodie suscipere, sicut te suscepit, & desideravit Sanctissima Mater tua gloriosa Virgo MARIA, quando Angelo evangelizanti sibi Incarnationis mysterium humiliter ac devotè respondit. Ecce ancilla Domini fiat mihi secundùm verbum tuum.*

Fervor in spiritualibus.

B. Hermanus Steinfeldensis remiserat in fervore devotionis, cui B. V. tota rugosa comparuit, mirantiq́; quæ sit hæc forma? ait: *Talem tibi me repræsento in oculis, qualis sum in animo tuo.* Ferventer ut opereris Fili MA-

RIÆ

RIÆ, te Pater Æneas, & avunculus excitet Hector, dicere volo, excitet frater Christus, Mater MARIA: Si vixisses unà cum illis, utiq; totus arsisses præ fervore animatus exemplo illorum: nunc cùm Providentia Dei in alio te posuerit tempore, ut corporali eas in specie videre nequeas, exemplum sequere, & voluntatem imple illam operibus tuis præfigentium doctrinam 1. Paral: 19. *Agite diligenter, & Dominus erit vobiscum.* Sapientis dictum est Prov: 10. *Qui congregat in messe, filius sapiens est, qui autem stertit in æstate, filius confusionis est:* quod quidem incitamento est filiis MARIÆ, ut operentur cum toto fervore, maximè cùm meminerint, quod habet Thom: à Kemp: lib: 1. c. ult: *sine solicitudine & diligentia non acquires virtutes.* Et S. P. N. Ignatius in epistola sua anno 1545. 3 Martii data Conimbricam dicens: *Plùs prodest, vel semel strenuè laborâsse, quàm millies remissè:* ideoq; currunt in via Dei, non autem simpliciter vadunt, currere enim ferventis est, & diligenter facientis opus suum. Deniq; filiorum MARIÆ tessera est, quæ olim fuit Lucii Veri: *Nihil obiter,* quia quæ faciunt, facere volunt omnia digna Deo.

Gloriæ vanæ fuga.

B. V. cùm gratiâ plena diceretur ab Angelo,

se

ſe vocat ancillam Domini: cùm benedicitur ab Elizabeth, magnificat Dominum: ut nos doceat, quales eſſe, cùm omnia bene fecerimus, debeamus: Auguſtini eſt illud: ſerm: 33. inter novos. *Quidquid boni facis, non tibi placeat, niſi Deus, quidquid mali pateris, non tibi diſpliceat, niſi Deus:* dedecus eſt matris humilis, filius ſuperbus: Paulini verò illud: *Humilis corde, cor Chriſti eſt*; adde ſi lubet & MARIÆ, quod quidem ſi vana tumet gloria, pro corde Chriſti aut MARIÆ, cor diaboli eſt; Chriſtus quippe & MARIA non quærit gloriam ſuam; quærit cor tale, cupiens eſſe ſicut Deus. Filius MARIÆ cùm ſit filius lucis, non gloriatur, quaſi non acceperit; ſed cùm radiat exteriùs, ita lucet, ut per eum glorificetur MARIA & Pater, qui in cælis eſt: hinc cùm quid boni agit, indignum judicat, ſi muſca glorietur quòd araverit, aut aſina Baal, quòd prophetaverit.

Humilitatis ſtudium.

De Converſo quodam humiliq; Carthuſiano habet Vincentius Belluacenſis ex Chronicis Ordinis, lib: 7. ſpec: hiſt: c. 117. quòd cùm eum multitudo dæmonum in ſpecie porcorum exagitaret, unusq; humana ſpecie enormis magnitudinis uncum ferreum longis, ac recurvis ungulis terribilem minaci vultu protendiſſet ad

eum

eum difcerpendum, adfuerit Deipara, abactisq; monftris inter cætera religiofum hifce monuerit. Placet quod agis, tuiq; animi devotionem Deo, mihiq; gratam noveris, fac ergo quod agis, & de his ad meliora proficere ftude; *ut verò aliquid tibi fingulare in mandatis tradam, ftude vilibus efcis, operi manuum devotus infifte, amplectere abjectas veftes.* &c. Difcite filii à Matre, quia humilis eft, *fuper humiles* etiam, ait Bonav: in ps: 113. *vultus ejus, & fuper confidentes in eam afpectus illius*: difcite inquam à Matre & magiftra humilitatem, quam eadem ipfa docuit S. Birgittam lib: 2. revel: c. 23. inquiens: *Filia fuge ad mantellum humilitatis meæ, & cogita te peccatricem fuper alios*. Porro in hac virtute proficere debes fub hac magiftra magis quàm in ulla alia, quia illa eft propria virtus MARIÆ, ac unicè dilecta, ideoq; meritò virtutum mater, & origo dicitur, habetq; tantum virtutis, ut *mereatur* tefte Bernardo, ep: 41. *ut aliæ virtutes dentur, quoniam humilibus Deus dat gratiam, ut fervet acceptas, quia non requiefcit fpiritus nifi fuper humilem, ut fervatas confummet, quia virtus in infirmitate hoc eft in humilibus perficitur*. Ipfaq; eft ea virtus, de qua S. Nilus orat: 16. *Lapis pretiofus in annulo aureo decorus eft, & in virtutum corona inferta humili-*

tas

tas. Quam qui habet signum habet quòd perire non possit: quod colliges tum ex aliis innumeris, tum singulariter in impio Manasse, de quo Climacus, in scala parad: gr: 30. de humilit: *Invenio*, ait, *Manassem illum inter homines cæteris ampliùs & perniciosiùs peccâsse, templum Dei, & religionem omnem profano cultu idolorum inquinâsse, pro quo si mundus totus jejunâsset, nullam sceleribus ejus dignam pænitentiam inferre potuisset: valuit tamen humilitas insanabilia ejus vulnera curare.* Audi fili MARIÆ legem Matris tuæ, & humiliare sub potenti manu Dei, exemplo Matris tuæ, de qua Bern: *MARIA quantò major erat, humiliavit se non modò de omnibus, sed etiam præ omnibus:* humiliare autem illo modo, quem præscribit S. Bonav: de instit: Novit: c. 10. inquiens: *Quibus places, attribue eorum benevolentiæ, non tuæ probitati, quibus autem displices, attribue tuo merito, & cogita: si in tantillo illis displices, sicut exteriùs tuam vilitatem possunt agnoscere; quid facerent, si radicitùs perspicerent omnia vitia tua, & peccata, & inhonesta tua, mirum si te non ejicerent, aut lapidarent.* Deniq; humiliare, te ipsum despiciendo, tibi diffidendo, donis Dei indignum te judicando, defectus tuos propalando, vilia appetendo, viliorq; fias plùs quàm factus es, & sis humilis in oculis Dei.

Inimicorum amor.

Perusii juvenis quidam ad necem inimico inferendam die Veneris sancto pergens, subiit obvium B. V. templum; cumq; inibi paululum oraret, affatur eum B. V. *Miserum te! quo ruis? ecquid cogitas? Deus malum hoc averruncet à capite tuo, vade, ignosce, ini pacem, ac Iesuitas adiens confitere:* quod piè executus est deponens peccata sua apud P. Iulium Mancinellum. *Refert P. Simon Mair lib:* 1. *cap:* 5. *vitæ P. Mancinelli.* Amandi inimicos quantumvis plurima motiva habeas, id tamen cæteris præstat omnibus, quòd sis filius MARIÆ volentis, ut parcatur inimico, & parcens referaris in eorum numerum, de quibus Christus, Matth: 5. *Orate pro persequentibus, & calumniantibus vos, ut sitis filii Patris vestri, qui in cælis est.* Mater pulchræ dilectionis filios omnes assimilari vult primo-genito in dilectione, & non canibus, qui lapidem in se projectum mordent, aut muribus & formicis, de quibus Sen: *lib:* 2. *de ira c.* 34. quòd si ad eas manum admoveris, ora convertunt: ne dicam stultis, apud quos furor non jam ira brevis, sed longus est furor ira: quam quidem assimilationem frustra velit, nisi & iste ignoscat persequentibus, quia nesciunt quid faciunt. Quo loco occurrit mihi illud, quod ob-

servant

ſervant Patres inter Saul & Davidem; Saul quippe filium Davidem vocat, quem ad mortem quærit, cùm ſibi ab eo ignoſci deprehendit in ſpelunca dormienti: quod ipſum factum Davidis Rupertus comparat cum facto Abrahæ non parcentis unigenito ſuo, aitq; meruiſſe, ut ex ſemine David Filius Dei naſceretur, ſic enim ait: de vict: verb: Divini lib: 4. c. 27. *Ratio docet, non multò minoris meriti fuiſſe, peperciſſe inimico propter Deum, quàm non peperciſſe unigenito Filio ſuo propter Deum: hoc fecit David inimico ſuo infeſtiſſimo quærenti animam ſuam: ob hanc cauſam maximè juratum illi eſſe arbitramur, quòd ſemen vel caro ejus aſſumenda eſſet in Filium Dei, quia maximè cauſa illa facit eſſe filios Dei.* Ignoſce fili MARIÆ, quem habes, inimico. *Occurrit tibi*, ait Aug, ſerm: 15. de temp: c. 7. *qui te læſit, occurrit tibi, qui te ſpoliavit: occurrit tibi, qui te in carcerem miſit. Eja attende cor tuum, reſpice Dominum tuum. Ecce malus inimicus tuus: ecce bonus Dominus tuus: Tuus equidem inimicus veniâ indignus eſt, ſed Deus illâ digniſſimus, ut tu amore ejus illi ignoſcas, ipſe meretur.* Ratiocinare ſimili modo fili MARIÆ, nam & mater tua digna eſt ut audias eam, ignoſcasq; amore ejus inimico tuo; motivum hoc agendi eſt filiatio MARIÆ:

aut

aut nomen ergo muta, aut gere te, ut filium MARIÆ decet, putaq; tecum agi hodie, quod legati illi apud Curtium, qui summam laudis Philippi Macedonum posuerunt in eo, quod filium haberet Alexandrum, nam & ego summam motivorum ignoscendi & diligendi inimicos in eo loco, quia filius es MARIÆ.

Kalendarii vitæ observatio sedula.

Alphonsum Rodriquez è Soc: nostra postquam B. V. jussisset facere examen conscientiæ, & orare docuisset, monuit *ut precum suarum Kalendarium conscriberet, quas stato tempore persolveret*, habetur in vita. Kalendarium B. V. scripsit Balingheim, aliiq; , filius MARIÆ observat exactissimè non permittens, ut incauto dies elabatur, quo non recordetur Matris suæ, verens, ne si fortè id faxit, oblivioni detur tanquam mortuus à corde: sanè sicut nullus dies est, quo non participat de gratia Matris, imò quo non est filius Matris, ita nullus dies esse debet, quo non sit memor tam [illegible]eneficæ Matris. Carthusianis graviter tentab[illegible] [illegible]nspicuus S. Petrus Apostolus adfuit ditis co[illegible] [illegible] *vobis annuncio Dei Genitricem* cens: *Ego* [illegible] *[illegible]trocinio in hoc deserto vobis perpetuo suo pa*[illegible] [illegible] *honorem horarias preassuturam, si in ejus* [illegible] *[illegible]tis.* Maraccius in *ces§ quotidie legere vol*[illegible] [illegible]est cum perpefundatoribus Mar: pag: 81. A[illegible] [illegible]hi in horas tuo patrocinio filiis Mater beata, [illegible]

fin-

ſingulas ad eam convertantur, ſecundùm quod monet Bonav: ps: 155. *Nolite ceſſare à laudibus ejus, & per ſingula momenta cogitate eam.* Horæ, Dei filiæ vocantur apud Natalem Comitem, l. 4. mythol: c. 26. quaſi ſemper eas Deus aliquis parturiat: filii MARIÆ hoc etiam titulo tales dicendi ſunt, quòd horis quaſi ſingulis gignantur, dum iis bene utendo merentur, ut conſerventur in amore Matris ſuæ. Eccl: 4. dicitur. *Fili conſerva tempus, & devita à malo*: hoc dogma præfigunt diſcendum, & obſervandum ſibi filii Mariani, ideoq; omni diligentia ſervant cor ſuum, ne eos prætereat particula bonæ diei, quo non operentur opera filiorum.

Libidinis omnisq; impuritatis fuga.

Albertus Caſtellanus *lib: de roſario* habet de quodam adoleſcente, cui B. V. obtulit potionem ſuaviſſimam, ſed in fætido calice: mirantiq; dixit: *tales eſſe preces ejus, quæ cùm ex fætido corde aſcendant, videat, quantum gratiæ habere poſſint*: alii oblatam docent ſcutellam cum pomis elegantiſſimis fætidiſſimam. Cùm de peccato luxuriæ ſcribo, occurrit mihi illud Origenis loquentis de peccatis mortalibus. lib: 6. in Matth: *Non ſunt*, ait, *hæc peccata fratris*, propèq; inducor, ut credam, libidinis actus cadere non poſſe in filios Virginis caſtiſſimæ;

hæ-

hædorum enim eſt luxuriari, & porcorum delectari in volutabro luti, non autem eorum, quibus Mater caſtitatis obtigit: iis ea puritas competit, quæ filiis habitantibus in domo illa, in quam nihil intrat coinquinatum. Exeſſe jubebat quovis veſpere ex palatio ſuo, qui alienam mulierem attigiſſent, Baldvinus Flandriæ Comes primus ille è Latinis Orientis Imperator, teſte Balingheim; *in Kalendar:* B. V. quidni ex aula Matris caſtiſſimæ exulet, qui cum mulieribus coinquinatus eſt? tota pura, & pulchra eſt MARIA, impuros non patitur cohabitare ſibi. Quò refer illud Deut: 32. *peccaverunt, & non filii ejus in ſordibus:* quaſi diceret; ex quo hujus peccati maculâ inquinati ſunt; filii eſſe deſiêrunt, pertinentq́; ad patrem omnis impuritatis, matremq́; Venerem, quæ per hoc etiam Vulcano nupta fingitur, quòd impuritas filiorum ejus ignibus æternis expianda erit: Et certè quis putaverit pertinere ad numerum filiorum MARIÆ illum, qui, ut Ioël ait, *computruit jumentum in ſtercore ſuo*, quem obvius aliquis bonus Angelus fugere debet dicens, quod talibus dicebat obvius S. Philippus Nerius: *Fili malè oles:* cùm è contrà odor filii Mariani ſit ſicut odor agri pleni cui benedixit Dominus: Bene Rich: à S. Laur: lib: 6. de laud: Virg: part. 6. *Apis*, ait, *Virgo eſt de qua Eccli:* 11. *brevis in volatilibus*

apis

apis, quæ fugatur fætore, & quantò magis ipsa est purior, magis fætet illi luxuriosus & impius, reliquæque vitiorum abominationes: ideoq; non permanet spiritus & filiatio ejus in homine, quia caro est. Non sunt igitur hæc peccata filiorum, nam ii ad numerum eorum pertinent, de quibus Psalmista: *Filia Babylonis misera, beatus, qui tenebit & allidet parvulos ejus ad petram*, id est, qui primis suggestionibus carnis obviat, nec colubrum fovet, donec in serpentem formetur, sed ut primùm erumpit, caput conterit: qualiter fecisse legitur Frater Iuniperus apud S. Bernardinum: tom: 4. serm: 20. de luxur: *Cùm suggestiones*, ait, *malæ ostium cordis mei, quasi pulsando percutiunt, ego respondeo ad intus; pro te nullatenus reserata erit: extrà, extrà: quia hospitium captum est, & ideo hìc recipi non potestis.*

Mortificationum exercitium.

S. Elizabethæ B. V. doctrinam hanc dedit. *Pro certo scias nullam gratiam in animam descendere, nisi per orationem & corporis afflictionem*: confirmatq; hoc exemplo suo inquiens: *dico tibi filia, quod nullum donum, vel virtutem à Deo habui sine magno labore, ardenti desiderio, profunda devotione, & multa afflictione, exceptâ sanctificationis*

nis gratiâ. S. Bonav: de vita Christi c. 3. apud Drexel: rosarum part: 1. c. 11. § 1. Hac doctrina innuere videtur pia Mater, quòd tales habere velit filios, de quibus ps: 78. *Posside filios mortificatorum*: de his quippe bene dixerit ipsa B. V, possedi hominem per Deum, cùm innocentiâ occisâ, vel per peccatum mortificatâ, novus homo nascitur, aut reparatur per mortificationem: imò non tantùm ipsa possidet, sed & possidetur, secundùm quod ait Bonav: 3. p. super Salve Reg. c. 19. *Qui vult te habere, se affligat, delicias respuat, delicata contemnat, & quò magis mortificatus fuerit, ampliùs te possidebit*. Primo-genito MARIÆ cùm in mundum venisset, Pater legem tulit, ut mortificatus tota die sustineret crucem confusione contempta; secundo-genito mater legem dat, ut, siquidem non sibi vivere debet, sed ei qui pro eo mortuus est, semper mortificationem IESU in corpore suo circumferat, ut & vita IESU manifestetur in corpore ejus: unde excitare se quivis eorum potest ad mortificationem sicut nuper Ioannes Berchmans ille è Societate nostra Angelus, *vitæ p. 4. pag: 259.* qui se ipsum ita compellare solitus erat: *vis videre an ames vocationem* (filiationem) *tuam, vide an ames mortificationem tuam. Vocatio tua est esse socium IESV*: filiatio tua est esse confratrem IESU:

quo-

quomodo autem vis esse socius IESV, & frater IESU, *nisi sis crucifixus cum IESV.* S. Ioannes de Mattha fundator Ordinis de redemptione captivorum moriturus positis ante lectum suum pedicis, manicis, catenis, flagris, securibus, aliisq; crudelitatis instrumentis, quæ sustinenda à suis prævidebat, convocatisq; ad se fratribus, ait, manu in hæc instrumenta intenta. *Filii, hæc est hæreditas vestra, hanc vobis testamenti loco relinquo.* Fratribus suis primo-genitus MARIÆ legat idem, hinc nihil frequentiùs inculcat, quàm ut abnegent semet ipsos, ut tollant crucem suam, & sequantur illum. Legat & MARIA optans id unicè, ut filii ejus viri sint per omnia æquales illi, de quo Scriptura, quòd fæmina circumdabit virum.

Nugas ac levia peccata fuge.

S. Anschario Episcopo, postea Svecorum ac Danorum Apostolo apparens B. V. ostendensq; ei matrem ejus in gloria dixit. *Fili, vis ad matrem tuam venire? si nostræ voluntatis particeps esse velis, omnem debes vanitatem fugere, & jocos pueriles dimittere, ac temetipsum in gravitate vitæ custodire: Valde enim detestamur, quæ vana & otiosa sunt, nec potest in nostro conventu esse, quicunque his fuerit delectatus. In vita.* Similem doctrinam datam esse à Deipara S. Musæ Virgini Romanæ testatur S. Gregorius; 4. dial:

c. 17. *si mecum*, ait Deipara, *& meo cum gynæceo in astris cupis vivere, mitte risus, jocos, ludos, & quidquid puellaris levitatis est: ad Agni cælestis nuptias non admittitur, nisi candidata & synthesi ornata minimæ quoq; maculæ experte.* Filii regum minimos in facie nævos cavent, filii MARIÆ in anima, quanquam ibi nihil minimum sit, nam ut bene S. Hieron: ep: ad Celant: *Nescio*, ait, *an possimus leve aliquod peccatum dicere, quod in Dei contemptum admittitur, estq; ille prudentissimus, qui non tam considerat, quod jussum sit, quàm illum qui jusserit, nec quantitatem imperii, sed imperantis cogitat dignitatem.* Et Bonav: in prolog: spec: *Non minimum est contemnere minima, quæ non minimam moribus maculam eò turpiùs neglecta ingerunt, quò vitari faciliùs cognita potuerunt.* Enucleatiùs autem Bern: *Nemo dicat in corde suo, levia sunt ista, non curo corrigere, non est magnum, si in his maneam venialibus, minimisq; peccatis; hæc enim dilectissimi impænitentia est, hæc blasphæmia in Spiritum Sanctum, ac blasphæmia irremissibilis.* Ascetarum eorumq; qui tyrones in religione erudiunt ad justitiam, dogma est: *nugæ in ore sæcularis sunt nugæ, in ore hominis religiosi sunt blasphæmiæ*; quod ipsum propè est ut dicam de filiis

MA-

MARIÆ, nam & ii consecrati sunt Matri suæ toti, ideoq; eò debent respicere, ut toti pulchri sint, nec macula sit in iis. *Quid Sanctissime Antistes Cuthberte*, dicebat triennis pusio adhuc parvulo Cuthberto vociferans, ejulansq; : *Quid Sanctissime Antistes Cuthberte hæc tuo gradui contraria geris? ludere te non decet.* Quid fili MARIÆ tibi cum nugis? quid cum jocis, aliisq; quæ te maculant venialibus? hæc tuo gradui contraria sunt, ludere te non decet. Optimæ matris filius debet esse sine nævo, si degener esse nolit. Bene Rodriquez 1. *p. de perfect: tract:* 1. *c* 10. docet hoc servire pro generali regula debere, quamdiu quis æstimat res parvas, quòd rectè aliquis incedat, & Deus eum suâ gratiâ provehat ulteriùs: contrà si negligat ipsas, quòd periculosè incedat, quia per istam portam omnia mala in spiritualem hominis domum incurrunt: pro generali enim regula est filium tamdiu Matris benedictæ dilectum esse quemq; , quamdiu sibi à nugis ac minimis nævis cavet, quando enim hæc levipendere incipit, propè est, ut projiciatur sicut abortivum ab utero, & habeatur pro alienigena.

Obedientiæ studium.

S. Catharina Vastanensis, filia S. Birgittæ cùm Romæ tanto desiderio teneretur patriæ revi-

sendæ, ut nec matri suæ eam retinenti obsequi vellet, graviter reprehensa est à B. V. *Egone* (inquit B. V.) *tibi opituler, quæ neq; Deo, neq; mihi, neq; Matri, neq; Confessario cedis, & obsecundas?* Resipuit ad hæc Catharina, promptiorq; ad obedientiam reddita est. *Sur: in vit: tom:* 1. 1. Pet: 1. quidam vocantur filii Obedientiæ, de quibus etiam Eccli: 4. *Et eris tu velut filius Altissimi obediens, & miserebitur tui magis, quàm mater.* Talem filium imprimis esse decet illum qui Marianus est, maximè quippe assimilari debet illi, quæ singularis fuit in virtute obedientiæ, adeo ut ipsa quod placitum Deo est, fecerit semper, & alios ad idem faciendum induxerit; patet hoc ex illo Matth: 2. *Quodcunq; dixerit vobis, facite*: ex quo colligunt Patres inter cætera, quanti fieri debeat obedientiæ virtus, cùm una hæc sit, quam legitur B. V. commendâsse aliis: imò quam unigenitus Dei sibi colendam proposuit, factus obediens usq; ad mortem, signumq; voluit esse dilectionis suæ, qualiter ipse iturus ad Patrem testatur inquiens: *Iam non multa loquar vobiscum, ut cognoscat mundus quia diligo Patrem, sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio.* Bene Laur: Iustinianus *fasciculi amoris cap:* 6. Qui diligit, obedit, qui autem negligit, certum est, quod non diligit. Vulgò dicitur, Felicitatis mater est obedientia, quod

quod verum esse colligitur tum ex aliis, tum ex eo, quod Christus dixit S. Catharinæ Senensi. dial: c. 158. *Verus obediens non obligatur mihi reddere rationem de se, sed solummodo prælatus, cui obedit*: Hæc porro felicitas in Marianis imprimis hortis nascitur, quia in eo quivis surculus transplantari & flecti se sinit ad meliorem hortuli ornatum, nec est in domo Mariana talis filius, qui alienus sit à mente matris, accenseriq́; possit Sarabaitis(sic vocat S. Thom: 2. 2. *q*. 186. *a*. 5. eos, qui à prælatorum obedientia absoluti sunt) hoc enim omnis pro oraculo habet, quod habet Thom: à Kemp: lib: 3. de imit: c. 13. § 1. *Fili, qui se subtrahere nititur ab obedientia, ipse se subtrahit à gratia*, addo, & à filiatione MARIÆ. Neq́; verò servorum tantùm est obedire, sed multò magìs filiorum, cùm ut bene Greg: lib: 12. mor: *obedientia non servili metu, sed charitatis affectu servanda sit, non timore pænæ, sed amore justitiæ*, quod maximè competit filiis, quorum oculi ad faciem, cùm oculi servorum ad manum attenti sint. *Perge per istam cœcæ obedientiæ viam, quam tenes, nam rectà pergis*, monebat nuper Deipara fratrem nostrum Ioannem Ximenez, *in vita P. Balth: Alvarez c.* 45. perge quisquis te ad MARIAM refers quia in hoc probabis te esse verum filium MARIÆ, cu-

jus, ut ipsamet dixit S. Mechtildi, *prima virtus fuit Humilitas, Obedientia, Amor*; probabis te etiam esse confratrem ejus, qui ex MARIA processit factus obediens usq; ad mortem, mortem autem crucis.

Patientia in adversis.

Hermannus à contractione membrorum totius corporis dictus Contractus, ex Ord: S. Benedicti petierat ope B. V. perfectam sanitatem: datum hoc ei à pientissima Matre responsum; eligeret sibi quæ vellet, vel omnium literarum tam Divinarum quàm humanarum scientiam cum membrorum contractione, aut cum sanitate corporis istarum rerum ignorationem: elegit optimam partem Hermannus, scilicet contractionem, & ex eo tempore literis tum latinis, tum græcis, tum Arabicis ita præstitit, ut nulli sua esset secundus ætate: Ejus est sacra illa antiphona *Salve Regina* in Officio Ecclesiastico multis miraculis celeberrima. *Trithemius lib: 2. de vir: illustr: c.* 84. Filius MARIÆ non raro idem experitur; mater quippe gratiæ pro donis immittit illi adversitates, quæ tamen cùm cadant in filium, omnia illi cooperentur in bonum: per quod pia Mater videtur cuilibet filio dicere illud: Gen: 27. *Accede ad me fili mi, ut tangam te, & probem, utrum tu sis filius meus:* flagellat filium, quem reci-

pit

pit, qui ſiquidem probus eſt, oſculatur manum ferientis, & virgam; ſi autem improbus eſt, retro abit, & negligit diſciplinam indignus tali matre. Sap: 5. *Anguſtiati & bene patientes computati ſunt inter filios Dei, & inter ſanctos ſors illorum eſt*: puta inter eos ſanctos, qui cum Ioanne acceperunt MARIAM in matrem ſub cruce Domini: Bene Tertullianus: *lib. de fuga in perſec. c.* 14 *Non poteſt*, inquit, *qui timet, ejus eſſe qui paſſus eſt*; addo nec ejus, quæ compaſſa eſt: Si enim, ait Aug: in ps: 42. *in tribulationibus defeceris, citharam fregiſti*, filiationem perdidiſti. Mater S. Symphoriani cùm in manibus carnificum videret filium, metueretq́;, ne in pænis deficeret, hiſce illum animabat. *Nate, nate, memento æternæ vitæ, cælum ſuſpice, & ibi regnantem intuere: tibi enim vita non eripitur, ſed mutatur in melius.* Brev: Rom: 22. Aug: Idem tibi dici puta à Matre tua, quisquis filius MARIÆ es, cùm quid adverſi in te incumbit; ſi enim hoc rerum articulo talem te præſtiteris, ut dici poſſit de te, digni ſumus viſi Deo, in quibus experiretur, quantum humana natura poſſet pati, non degenerem te probâſti ſtirpe tua, nam intuentes in crucem tuam dicent. *Verè Filius Dei erat iſte*, ſicut nuper patiente Chriſto revertentes, de cruce clamabant: quemadmodum & Saul filii nomine

appellat Davidem, quem ad mortem quærit, cùm actum patientiæ ipsius parcentis hosti suo in spelunca Engaddi advertit addens: *Nunc scio, quia certissimè regnaturus sis, & habiturus in manu tua regnum Israël.* 1. Reg: 24. Age Mariane, si filius es tantæ Matris heroica virtute irruentia in te mala sustine, *non sentire mala sua non est hominis*, ajebat Seneca, de consid: ad Polyb: *non ferre, non est viri*; tu dic, non ferre non est Mariani; agere quippe & pati fortia Marianum est; nam provida Mater quos præscivit & prædestinavit conformes fieri imaginis filii sui, ut sit primo genitus in multis fratribus, hos & prædestinavit ad hoc, ut paterentur & fierent conformes in patientia, unde sicut Christus passus est, ut se MARIÆ probaret filium, quemadmodum loquitur S. Ildephonsus serm: de Nativ: Virg: dum ait: *ut MARIAM veram Matrem ostenderet, se verum hominem patiendo monstravit*, sic & tibi patiendum est, ut probes te esse confratrem Christi, filium autem MARIÆ.

Quinque sensus custodi.

S. Birgittæ hanc præscripsit doctrinam Deipara, lib: 5. revel: c. 1. *Oportet te habere os mundum à detractionibus, aures clausas à vaniloquiis, oculos pudicos, manus in bonis*

operosas, & elongare te à sæculi conversatione. Hoc idem præcipit filiis omnibus pia Mater, siquidem totos ipsorum sensus unà sibi vendicat, ne si alioquin unus hostem admittat, tota pereat hæreditas: totos inquam & omnes exigit sensus, singulariter tamen custodiam oculi: quod aliâ doctrinâ datâ Alphonso Rodriquez lib: 1. vit: c. 38. testatum reliquit: *Quando*, ait, *incedis per viam, non attollas magis oculos, quàm sit necesse ad videndum, ubi pedes figas, ad neutrum latus convertas oculos, nec caput attollas, sicut hodie fecisti, quando vidisti mulierem*: quam quidem doctrinam ita bonus frater cepit, ut per quadraginta annos, quibus januam Societatis in Collegio curavit, mulierem non viderit de facie. lib: 2. vit: c. 6. Et certè filiorum est ea respicere, quæ provocans eos ad volandum mater respicit, & siquidem tantæ Aquilæ pulli sunt ad solem non ad quisquilias intendere inferiores exemplo Matris suæ, de qua S. Vincentius Ferrerius *serm: de Nat: Dom*: testatum reliquit, quòd habuerit oculum cordis magnum ad cogitandum, & contemplandum, sed os parvum ad pauca loquendum, ideoq; Deum respiciebat, non autem ea quæ sub Deo sunt; hinc ut observat S. Evcherius, cùm salutaretur ab Angelo, turbata est non in vultu ejus, sed in sermone ejus, non enim Angelum, sed verbum

An-

Angeli attendebat. Deniq; filiis MARIÆ illud propositum velim, quod habet S. Greg: Nissen: serm: 2. *Bruta spectant, ad quæ nata sunt, ad pastum genita sunt pecora, itaq; propriam deorsumq; vergentem formam habent, ut ventrem & quæ ventri subjecta sunt videant; homo verò* (filius MARIÆ) *non ventrem respicit, sed superiora contuetur, caput illi sublime est, ut genus cæleste suspiciat &c.*

Resignatio in voluntatem Divinam.

B. V. instruens S. Birgittam, *revel: l. 6 c. 56.* quomodo Dei voluntati conformis viveret, adducit in ordine ad persuadendum exemplum S. JOSEPHI Sponsi sui dilectissimi, dicens, jugem ejus orationem hanc fuisse: *Utinam vivam, & videam adimpletam voluntatem* Dei; tum addit: *totum desiderium ejus fuisse obedire voluntati* Dei, *ideoq; nunc gloria sua magna est.* Poterat etiam pia Mater suo ipsius exemplo virtutem hanc persuadere, nam intemerata Virgo habuit continuum aspectum ad Dei beneplacitum, promptumq; consensum, intantum, ut S. Antoninus part: 4: tit: 15. c. 4. § 1. scribat. *O Domina, ita Divinæ voluntati conformis fuisti, ut audeam dicere, si nullus fuisset, qui filium tuum crucifigeret, ut adimpleretur voluntas* Dei,

ipsa

ipsa illum in cruce posuisses, & clavis affixisses, neq; enim minoris te obedientiæ fuisse credendum est, quàm Abraham, qui proprium filium propriis manibus Deo obtulit occidendum & comburendum. Poterat exemplo primo-geniti dicentis Patri, non mea sed tua voluntas fiat, aliorumq; filiorum suorum, de quibus Tob: 2. *Filii sanctorum sumus, & vitam illam expectamus, quam daturus Deus est his, qui fidem suam nunquam mutant.* Fili, verba sunt Thomæ à Kempis, l. 3. de imit: c. 11. § 1. quæ tibi à matre tua dici existima. *Fili, oportet te adhuc multum addiscere, quæ necdum bene didicisti: quæ sunt hæc Domine? ut desiderium tuum ponas totaliter secundùm beneplacitum meum, & tuiipsius amator non sis, sed meæ voluntatis cupidus æmulator.* Hæc planè doctrina Matris est, eaq; facillima, nihil enim faciliùs, quàm projicere se in amplexus optimi Patris, & in sinum ipsius providentiæ: item doctrina optima: sicut enim ipse actus voluntatis Divinæ simplicissimus omne bonum habet pro objecto tam proprium, quàm creaturarum; ita hæc voluntas conformata voluntati Divinæ habet in se perfectionem omnem imaginabilem, per eam enim *transimus quodammodo in unum affectum cum Deo*, ut vult S. Aug: lib: de dilig: Deo, *ut quomodo Deus*

omnia

omnia voluit esse propter semetipsum, sic nos quoq; nec nos ipsos, nec aliud aliquid vel fuisse, vel esse velimus, nisi æque propter ipsum ob solam videlicet illius voluntatem, non nostram voluptatem. Deniq; doctrina hæc jucundissima, & utilissima est, quia facit habere, quod quisq; vult, & quod nihil malè velit, quia vult semper, quod vult Deus, qui nihil malè vult. Hanc ergo doctrinam seduli addiscite filii MARIÆ, & ut ait Apostolus, Ephes: 5. *ut filii lucis ambulate, probantes quid sit beneplacitum Deo, & nolite communicare operibus infructuosis tenebrarum,* scientes quòd quicunq; fecerit voluntatem Patris, qui in cælis est, Christi frater, soror & Mater est.

Socios noxios fuge.

Regi cuidam per S. Birgittam monitum dat Deipara, *lib*: 8. *revel*: *c*. 19. ut socium malum ableget à se, minaturq; flagella, si id non fecerit. Dat & filiis suis illud prov: 1. *Fili, si te lactaverint peccatores, ne aquiescas eis, ne ambules cum eis, prohibe pedem tuum à semitis eorum, pedes enim illorum ad malum currunt.* Videt nempe pia Mater pericula, in quæ incidunt filii Israël, si consortia habeant cum Chananæis; filii Dei si intrent ad filias hominum; filii sui, si conversentur cum filiis

Ba-

Babylonis, commixti enim inter gentes, discent opera eorum. Eccli: 41. dicitur. *Filii abominationum, sunt filii peccatorum, & qui conversantur secus domos impiorum*; id est, qui conversantur cum impiis, nec enim fieri potest, ut bonus sit, qui cum malis commiscetur, cùm ut Chrysost: in Matth: ait. *Rerum natura est, ut quoties bonus malo conjungitur, non ex bono malus melioretur, sed ex malo bonus contaminetur: diversitas enim rerum nunquam potest habere consortium, & multos sollicitat felicitas nefanda.* Et S. Isid: lib: 2. solil: *Ante ignem,* inquit *consistens etsi ferreus es, aliquando dissolveris, proximus periculo, diu tutus non erit-per assiduitatem citò peccat homo, sæpe familiaritas implicavit, sæpe occasionem peccandi dedit, sæpe quod voluntas non potuit, assiduitas superavit.* Vicus sceleratus Romæ est, cui nomen dedit Tullia vecta per cadaver Patris sui: filius & amator MARIÆ hunc semper declinat, imò alios confratres ab eo abstrahit, dicens cum Apostolo: 2. Thess: 3. *Denunciamus vobis fratres in nomine Domini IESV Christi ut subtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinatè.*

Temerarii judicii fuga.

S. Birgittæ hæc etiam doctrina tradita est à B. V.

V. lib: 2. revel. c. 23. *nullos in corde tuo debes judicare, quia nescis, qua intentione, & qua scientia, hoc faciunt.* Si verè utiq; justitiam diligitis, recta judicate filii MARIÆ, quia filiatio radicata in charitate esse non potest, ubi sinistrè frater judicatur: Apostoli oraculum est, *Charitas non cogitat malum*, & diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum etiam ipsa peccata; quod si non fiat apud aliquem, convincitur non esse charitas in illo, adeoq; non esse filius dilectionis; cor enim ejus malignitate plenum, neq; quid sit bonum novit, sed ipsam bonitatem convertit in malitiam, adinstar radicis aut stomachi vitiosi, qui siquidem malus est, omnia in malum convertit, si autem bonus, in bonum: aut ut vult Bonav: *in stim: amor: c.* 10. adinstar pestis, quæ vitam animæ, quæ consistit in amore, homini eripit, secundùm quod dicitur: qui non diligit, manet in morte. Et tales sunt, qui obvio cuiq; maculam affricant, humili hypocrisin, patienti timiditatem, justo impatientiam, simplici fatuitatem, religioso singularitatem, conversativo sæcularitatem, vigilanti & oranti indiscretionem, prædicanti aliis, laudis appetentiam, aliisque mille alias nebulas: quibus temerè judicantibus si ego aliquem ex filiis MARIÆ accenserem, næ ego plenus errorum sim, non enim judicium dedit mater optima filio suo, in quo

qui alterum judicat, seipsum condemnet; præterquam illud super se uniuscujusq; in quo is ipse judex & puniens, qui reus ad pænas destinatur.

Virtutibus profice.

Menologium S. Benedicti 1. *Oct:* habet de B. Godefrido, quod ei nunciari fecerit B. V. *ut proficiat de virtute in virtutem, sic erit filii mei, & meus, & cùm migraverit anima ejus à corpore, non dimittam eam ire in purgatorium, sed suscipiam eam, & offeram filio meo.* Filii MARIÆ est proficere ætate, sapientiâ & gratiâ apud Deum & homines; ferè sicut Christus, qui quoad cum hominibus conversatus est, non stetit, sed pertransiît benefaciendo. Ascetarum dogma est, quòd non progredi in via Dei, sit regredi: hoc cumprimis didicerunt, qui pro idæa actionum suarum posuerunt MARIAM, quæ dum viveret, magis magìsq; placere curabat Divinæ bonitati usu frequenti & profectu in virtutibus, fuitq; ut vult Rupertus in prima sanctificatione ut aurora, in Filii conceptione ut Luna, in morte ut sol· certè qui virtutes ejus considerat, fateri debet, quod de Ruth Moabitide dicebat Booz: Ruth 3. *Scit omnis populus, qui habitat intra portas urbis, mulierem te esse virtutis.* Ita planè viri virtutis sunt Mariani omnes, assidui

sidui quippe in actu virtutum sunt, ascensionesque in corde suo disponunt, & ut loquitur Bern: ep: 254. *ibi figunt sui cursus, profectusq; metam, ubi Christus posuit suam*, volentes eo pertingere, quo Boëthio teste, ultra homines provehere sola probitas potest. Porro ad hunc finem confert iis frequens virtutis usus, virtutes enim non natura, sed usus facit, neq; virtus contingit animo, secundùm Senecam, nisi instituto & edocto, & ad summum assidua exercitatione perducto, cùm ut vult philosophus: 3. Ethic: c. 1. *sicut ædificando ædificatores, citharizando citharædi efficiuntur, ita quoq; justa agendo justi, temperantia temperantes, fortia fortes evadimus.*

X seu Crucifixi amor.

Cogitabat ollas Ægypti Novitius ex Ord: S. Dominici, ideo quia durum panem Religionis concoquere non poterat, cumq; ultimum Virgini Beatæ valedicturus procumberet coram ejus imagine, jubetur quem ita nauseabat panem afferre: allatum Virgo lateri Christi crucifixi imponit, redditoq; sapidissimo inconstantiæ Novitii consuluit, monens eum, *ut si quid aliàs grave incumberet, à latere Domini crucifixi remedium peteret.* Razzius in vita S. Dominici, Filiorum MARIÆ cibus est lac Virginis, & sangvis vulneris, sicut qui-

dam

dam ait: hinc paſcor à vulnere, inde lactor ab ubere. Aut, ut S. Franciſcus Borgias: *Mihi* ait *Virgo hoc onus portat, mihi lac Matris, mihi filii bullit ſangvis*: ibi ſugitur mel de petra, oleumq́; de ſaxo; petra enim Chriſtus eſt, & lapis angularis: hinc plenæ illæ ſolatii voces apud Bern: ſerm: 61. in Cant: *Quod ex me mihi deeſt, uſurpo mihi ex viſceribus Domini mei crucifixi, quoniam miſericordiâ affluunt, nec deſunt foramina, per quæ effluant; patet arcanum cordis per foramina corporis, patet illud magnum pietatis ſacramentum, patent viſcera miſericordiæ Dei noſtri, in quibus viſitavit nos oriens ex alto.* Neq́; ſolum cibi loco eſt ſangvis Domini crucifixi, ſed & ornatus, quod olim S. Agnes dicebat tyranno, *ſangvis ejus ornavit genas meas*, eſt ſignaculum ſuper cor, ſignaculum ſuper brachium, & monile pretioſiſſimum, in paupertate theſaurus, in tenebris lux, in errore ſapientia, in debilitate fortitudo, in pavore vigor, in frigore ignis, in triſtitia gaudium, in omni neceſſitate unicum, certum ac fidele ſubſidium. Ad hunc ſangvinem & latus crucifixi cùm filios ſuos adducit Virgo Beatiſſima, videtur mihi filiis inculcare velle ut ſequantur veſtigia primo-geniti, ſi enim dulcis paſſio, quid erit compaſſio: ſi præceſſit gloria capitis, decens eſt, ut ſequatur & membrum

 ſi-

fidele, sequatur amans & peccator eum, qui talem pro peccatoribus sustinuit contradictionem; imò videtur inculcare ut ametur magìs, qui in finem dilexit nos; ferè sicut Mater illa apud Plutarchum identidem solebat ostendere filiis suis tristes occisi Patris exuvias, indusium hians vulneribus, vestes cruentas paterno sangvine, dicens hæc omnia supplicare quasi uno ore filiis, ne amicitiâ jungantur homicidis Patris sui.

Zelus animarum.

P. Bernardum Colnagum è Soc: JESU virum sanctum invisebat Virgo dicens, imposita pectori ejus manu: *Labora naviter & indefessus pro salute animarum, & affer atq; adducas mihi animas, hoc enim obsequium præ omnibus reliquis est mihi longè acceptissimum, charissimum.* Nadasi in annal: Mar: n. 463. & n. 1046. Egi supra de zelo erga animas, hic virtutem utpote unicè necessariam filio Mariano, Matri longè gratissimam refricare jubet doctrina pretiosissimæ Matris. Zelus secundùm S. Thom: 1. p. q. 28. a. 4. est *intensus amor, quo quis movetur contra illud omne, quod repugnat bono amici, illudq; repellit.* seu, ut Rodriquez p. 3. tract: 1. c. 10. est *ignitus amor, desideriumq; ut ab omnibus amatus ametur, incendens alios ad amorem:* qui

qui-

quidem zelus & amor, quantum amanti filio Mariano competat, nemo non videt: certè si perfectorum est, ut loquitur Apostolus, Coloss: 1. *ut exhibeant omnem hominem perfectum in Christo IESV*, filiorum Marianorum esse debet omnem hominem exhibere amantem Matris, quod quidem non aliter facient, quàm si illum adducant ad agnitionem Dei & sanctitatem. *Ego aliter amare non didici*, dicebat, S. Chrysostomo teste, *lib*: 2. *de sacerd:* Basilius, cùm quendam amicum in judicio periclitantem non rogatus cum plurimo vitæ periculo defendisset: nec filius MARIÆ aliter esse filius, quàm si plures ad amorem matris inducat: periclitetur media in Sodoma aliquis, intrabit filius MARIÆ, cogetq́; exire novum Loth dicens: Salva animam tuam: pericula ipsi subeunda erunt, & pænæ sustinendæ? pericula insuper habet, & pænarum pessima est, si non detur ei, quam unicè optat salus animæ: ut bene advertit Seraphica illa Virgo S. Maria Magdalena de Pazzis, quæ aliquando dicebat Christo. vitæ cap: 4. *Adeo desidero conducere animas ad te, ut mihi sit pæna hoc desiderium, & hæc pæna est adeo mihi gravis, quia non possum implere hoc desiderium, ut mihi sit quasi quidam infernus:* imò tam graviter eam doluit hæc pæna, ut alibi dixerit. vitæ c. 99. *Domine si non facies mihi hanc gratiam*

dandi istas animas, quas ego peto; dicam etiam ego, nolle me venire ad gloriam, quam mihi præparâsti. Aliter amare non didicit filius MARIÆ, nisi amet cum pluribus ratus sacrificium non gratum Deo, nec beneplacitum se facere Matri, nisi pleno choro peragatur. Romualdum vox interna hæc permovit ad salutem animarum: *Si alios perire sinas tu ipse peribis Divino judicio in æternum*: Filium MARIÆ eadem permovet: si alios perire sinis, id est, si non inducis ad amorem Matris, non es filius amans matris: Secùs si faxis, verus filius es, imò alter IESUS, quo nomine ipsa Virgo Pretiosissima talem appellat apud S. Catharinam Senensem inquiens: *Verè tales appellari possunt alter IESVS Christus crucifixus unigenitus meus, ex eo, quod assumpserint officium ejus.*

Et hic portus esto laboris mei. Fili Mariane vis audire illud, quod olim S. Raymundo Nonnato Cardinali oranti coram imagine B. V. dixit Mater tua; ut habetur in vita ejus. *Ego te in filium ab hac hora suscipio, quare me Matrem tuam poteris appellare;* fac ita vivas, ut Matrem non pudefacias, statue pro fundamento vitæ & conversationis tuæ illud: *Ecce Mater tua, ecce Filius tuus.* Quod quia ordini suo dicto Fontis Ebraldi statuit pro tessera & fundamento autor ejusdem

Or-

Ordinis plurimos ex utroq; ſexu longè ſanctitate celeberrimos in eo numerare poteſt: teſte Baronio anno Chriſti 1117. ſic vive ut filius, ſi vis Matris loco tibi eſſe Deiparam: ſecùs ſi feceris dicenti tibi olim, monſtra te eſſe Matrem, reſpondebitur: non monſtrâſti te eſſe filium, nec ipſa Mater tua, nec tu filius ejus eris: non pudefac Matrem, non pudefacies autem, ſi quæ libello hoc annotata ſunt, tibi familiaria reddideris.

Mater piiſſima, cujus filium eſſe, eſt eſſe hæredem bonorum omnium & virtutum, impetra hoc filiis tuis, ut nemo ex iis degeneret, mihiq; ultimo inter mancipia tua, da, ut toto me ſerviam tibi, ac propter te filiis tuis, unaq; admittens me in nobile hoc ſervitium tuum amolire, & amove nequam illos, quibus exprobare poteris illud Exod: 4. *Dixi tibi: Dimitte filium meum, ut ſerviat mihi, & noluiſti dimittere eum,* & ſic lætus, quòd admiſeris me intra numerum vernarum tuorum æternum gloriabor, quia quantus ſum, ſum totus MARIÆ.

PROTESTATIO Auctoris.

INsistendo, eâ qua par est observantia & reverentia decreto S. D. N. Vrbani VIII. edito anno 1625. 13. Martii, & confirmato 5. Iulii anno 1634, explicatoq; 5. Iunii 1631, protestor, me omnia, quæ in hoc Libro de virtutibus, sanctitate, rebusq; gestis ac aliis qualemcunq; miraculi speciem habentibus, continentur, haud alio sensu referre, accipere & accipi velle, quàm quo ea solent, quæ humana duntaxat autoritate, non autem Divinâ Catholicæ Ecclesiæ, aut Sedis Apostolicæ nituntur, iis tantummodo exceptis, quos eadem Sancta Sedes Sanctorum, Beatorum aut Martyrum Catalogo adscripsit.

IOANNES BRICTIVS Soc: IESV.

Index eorum quæ hoc in Opuſculo continentur.

A

Abſtinentia 268. *Vide mortificatio, jejunium.*
Acœmetæ eremitæ, id eſt, non dormientes 76. *inter quos eminuit S. Alexander, qui molitus eſt catenam ſemper orandi* 76.
Adoptivi filii præſtant naturalibus 7.
Alieni peccati reus 93.
Amor Dei quantus fuerit in B. V. 302. *quantus item amor noſtri* 307. *Amor in* B. V. *ſignum prædeſtinationis* 56.
Amet Deum filius MARIÆ 334. *propter Deum ſolum* 72. *amâſſe ſe dicit* Theodoſius, *quæſitus quid in terris egerit?* 288. *amoris exceſſus* 72. 152. 369. *gradus* 71. *inventores* 93. *amor ignem non ſentit* 222. *nec timet pericula* 368. *in paſſione* Filii B. V. *maximè afflixit* 220.
Amanda B. V. *more* 57. & *ſeq. ore* 96. & *ſeq. re* 246. & *ſeq.*
Anagrammata ex nomine MARIA, MARIA *Virgo, ex Salutatione Angelica, ex nominibus* IESVS MARIA IOSEPHVS 287. 289.
Ancillæne an Matris Dei titulus magis

B

B. V. commendet 188.

Animæ pulchritudo 51. 238.

Annunciatio B. V. 188.

Assumptio B. V. 239. *majorane motiva habeamus amandi* B. V. *à morte, quàm cùm viveret nobiscum* 239.

B

Benedictionem pete à B. V. *ante actiones tuas* 119. 265.

Bona fortunæ providet filiis suis B. V. 38. *bona gratiæ* 42. *bona gloriæ æternæ* 45.

S. *Brigittæ amoris excessus erga* B. V. 74.

C

Calceis amatoria verba inscribunt amasii 63

Camerarius B. V. *post mortem* S. *Petrus* Damiani 27.

Campana sonante oranda B. V. 253. *pulsum pro salutatione* B. V. *instituit* Ioannes XXII. 260. *ut pulsetur ad orationes pro animabus purgatorii impetratur* 283.

Canticum B. V. *orans perdita invenit* 104. *Cantici* MARIANI *laudes, ac initii ejus expositio* 202.

Carmina de B. V. *componit* Evdoxia *Imperatrix* 274.

Carthusiani liberantur ab afflictionibus per officium B. V. 105. & *quotidianam de ea Missam, quam vocant siccam* 269.

Ca-

Casta sit portans nomen MARIA 185. *castè agendum festis* B. V. 264.
Castitas quanta fuerit in B. V. 315. *aliis castitatem ingeneravit* 216.
Cereus incombustus per miraculum Beatæ *Virginis* 297.
Christiani sunt Dei *imitatores* 292.
Cistercienses patronam eligentes B. V. *vestiri jubentur albis ab illa* 272. *proverbium eorum:* Domina Charitas *providebit unde sit ortum* 39.
Clepsydra è cinere defuncti 97.
Communio cum meritis Sanctorum 22. 76.
Conceptio immaculata B. V. 156.
Cognatio sancta 18.
Colloquia de B. V. *rebusq; sanctis* 124.
Columbæ latere eductus sangvis fuit universalis medicina 31.
Conformitas cum voluntate Divina 359.
Constantia in cultu B. V. 278.
Contentiones fugiat filius B. V. 297. 333.
Cor B. V. *offertur* 265. *in corde* IESV *habitare suas moniales vult* S. Franciscus *Salesius* 28. *cordi nomen* IESV *insculpitur* 281. *cor brachio jungitur* 249. *è cordis sangvine nascitur pullus avis Arabicæ* 26. *filii cordis Mariani* 2. 26.
Coronæ peccatoriæ origo 107. *corona de virtutibus* B. V. 112. *coronis inscripta nomina*

mina 177. *quibus coronis sit coronata B. V.* 241.

Corpus B. V. gloriosum 238.

Crucifixum loco testamenti dat Philippus II. filio 276. *Crucifixi amor* 365.

D

Devotiones variæ ad B. V. 102. *& seq. occasione novem mensium, quibus portabat Christum in utero* 114. *occasione dierum quibus portabatur in utero* 114. *horarum quibus B. V. concepta est* 118.

Deus distat ab homine; quantum amor à corde 34. *est cum B. V.* 145. 196. *est magnus in B. V.* 133. 147. 203. *quodammodo perficitur à B. V.* 144. *omnia in sapientia fecit* 57. *salutem nostram unicè desiderat* 34. 84. *tota æternitate quid cogitet?* 45. *Dei continua memoria* 84. *quasi vivit in mundo per B. V.* 138.

Diaboli nomen est sine amore Dei 55.

Dii gentium exempla peccatorum 294. *quantus honor adhibeatur Deo Amidæ* 99. *quantus Cybele* 293. *De Nativitate Dei Xacæ fabulæ Iaponum* 93.

Disciplinam testamenti loco legat filio Philippus II. Hispan: 276.

Divitiæ trium Abbatiarum in Germania 41.

Dolores B. V. cole 120. *quanti illi fuerunt*

in

in paſſione Chriſti 213. 218. 313. *Doloroſæ Virginis feſtum eſt natalis filiorum ejus* 218. *quis maximus dolor fuerit* B. V. 218. *dolueritne magîs Chriſto patiente, an ſepulto* 228.
Domus *S. Gregorii Turonenſis nonniſi ſanctos educat* 18. *Bonifacii Pontificis hæreticos non patitur* 18.
Dotem *pauperibus Virginibus procura* 255.

E

Eleemoſyna *danda* 260. *imprimis à filio* B. V. 331. *dans eam facit, ut continuò pro ſe oretur* 90.
Elogia *quotidie dic* B. V. 119. *quatuor elogiis* B. V. *cruciatur dæmon* 120.
Equites *de carduo in torque inſcriptum habent Spes* 25. *Equites ariſtæ, Ama* 54.
Eſſæi *continuam feruntur habere Dei memoriam* 84.
Evchaitæ *hæretici ſic dicti ab aſſidua oratione* 59.
Evchariſtia *panis filiorum* MARIÆ 336. *in ea caro & ſangvis* B. V. 262. *ſæpe & cum ſumma munditie adeunda eſt* 336.

F

Fervor *in amore* B. V. 69. *in operibus ſalutis* 330. 338.
Feſta B. V. 156. *feſtis* B. V. *claudi jubentur lupanaria* 264. *feſta beneficiorum col-*

latorum à B. V. & sanctorum ei specialiter devotorum 268.

Fides B. V. quanta fuerit 299.

Filius nomen amoris est 9. est effigies Patris 295. an sint alicubi filii non degeneres 96. imitentur Patrem 290. filius vulneris quis dictus fuerit 2. filius sepelit cineres Patris in capite suo 281. filium Mater ad mortem pro Christo hortatur 356. Filii quàm bene offerantur B. V. 39.

Filii MARIÆ sunt filii cordis 2. 26. sunt adoptivi 7. charactere aliquo discernentur in cælo ab aliis Sanctis 46. sancti sunt 347. filiatio MARIANA incitamentum est ad virtutem 329. Felicitas filiorum B. V. 8. & seq.

Fortitudo quanta sit in B. V. 312.

Fraternitas est divisus spiritus 11. quantum boni sit habere fratrem bonum 12. & seq. Frater S. Florentiæ Virginis gaudet de ea 15. amat fratrem Cato 17. item Scipio Africanus 20.

Fundatores Ordinum habent præmium ab omnium operibus in se derivatum 92.

S. Franciscus Xaverius uno actu heroico ad sublimem sanctitatem evasit 70.

G

Gaudia B. V. venerare 117.

Gloria B. V. in cælis 240. gloria major tes-

tessera erat S. Ignatii 67. *gloriam vanam fuge* 339. *æternam suis obtinet B. V.* 44. & *seq. gloriæ æternæ aliquid accedet ex visione B. V.* 172.

Gratia quanta fuerit in B. V. 194. *quid magis sit gratulandum B. V. quod fuerit gratiâ plena, an quod Dominus sit cum ea?* 194. *gratiæ bonum est super omnia bona etiam super bona gloriæ* 42. 194. *eam suis procurat B. V.* 42. 149.

H

Hæreditatem æternam suis procurat B. V. 44. & *seq.*

Hæretici vivere non possunt in domo Bonifacii Pontificis; item Edessæ, ubi corpus est S. Thomæ Apostoli 18.

Heroicus unus actus est causa sanctitatis 70. *etiam in abstinentia à malo* 258. *cum fructu colitur B. V. talibus actibus* 284.

Hominis miseriæ 29.

Horæ Filii Dei 346. *horis singulis cole B. V.* 270. 346.

Humilitas B. V. quanta fuerit 319. *quanta ei contulerit* 189. *perquam placet B. V.* 276. *decet maximè Sodales & cultores B. V.* 271. 340. *est signum prædestinationis* 342.

Hymni & Antiphonæ B. V. gratissimæ 109.

Hyperdulia & genu-flexionibus cole B. V. 115. 263.

I

Iejunium septem annorum in honorem B. V. 261.
IESV nomen cole cum nomine MARIA simul 120.
S. Ignatius quoties scripserit in Instituto Societatis Ad Majorem Dei gloriam 64. summè gaudebat in sumptione Eucharistiæ ex eo, quia caro Christi esset caro B. V. 262.
Ignis ardorem non sentit amor 222. regere sciens omnem scit artem 61.
Imagines B. V. honora 119. cùm transis 254. in cubiculo 256. Beatæ Virginis Imaginem ori quis inseruerit non valens glutire Eucharistiam 282. imaginem quod ex cubiculo non ejiciat eremita, multa patitur à dæmone 256.
Immaculata B. V. ab omni peccato 150. 309. quomodo possit dici impeccabilis 204.
Imitatrix Dei B. V. 140. 294, imitare B. V. 290.
Infirmos visita 254. 273.
Inimicos ama 343. injuriarum condonatio heroica 70. donans injuriam B. V. pluries à periculo mortis liberatur 275.
Innocentiæ patrocinatur Deus 275.
Intentio præfixa operibus quantæ sit virtutis 60. 273.

S. Ioannem Evang: aliqui in naturalem filium B. V. transsubstantiatum docuerunt 6. Ioannis nomine insignes damnari posse negant Iaponii 184.
Iustitia quanta fuerit in B. V. 311.

L

Lampadem ante imaginem B. V. alens mira experitur Dei beneficia 40. 267.
P. Lancicius singulos gressus & literas ex amore Dei faciebat 64.
Laude omni major est B. V. 125.
Levitates fugiat filius B. V. 350.
Liber generationis IESV Deipara peccatori dedicatur 173.
Libidine non peccat filius B. V. 346. suggestiones turpes statim pellit 248. exesse jubebat domo sua Baldvinus, qui mulierem tetigisset 247.
Lilium offertur B. V. 284.
Lingva manifestum te facit 98. S. Antonii post mortem incorrupta 100.
Litanias Lauretanas dic honori B. V. 108. 267.
Lucrum e ludo dat pauperibus amore B. V. S. Elizabeth 253.

M

Mancipia B. V. 88. 283.
MARIA quomodo sit forma Dei 130. exemplar juxta quod operatur Deus 136. perfectissima

fectissima creaturarum 136. 141. *anima Dei* 138. *imitatrix summa Dei* 140. 294. *gratiâ plena* 194. 172. *medicina universalis* 31. *martyr charitatis, commartyr Christi facta est* B. V. *in passione* 221. *sola Christo compassa* 213. *amore mortua* 306. *mons in quo Deus operatur mirabilia* 200. *complementum SS. Trinitatis* 141.

Marianitæ vocabuntur ope B. V. *salvati* 185.

Martyris plura patiendi ardor eximius 94.

Mater Dei: *ob maternitatem duplici titulo Domina universi constituta est* B. V. 14. *maternitas Dei quantum bonum* 189. *magisne* B. V. *commendet, quòd sit Mater Dei, an quod sit ancilla Christi* 188. *Mater admirabilis gratissimus titulus* B. V. *expositus* 126.

Mater hominum B. V. *vide* Filii. B. V. *mater etiam post mortem* S. *Blesillæ* 48. *in vita* S. *Theresiæ*. Elzearii 49. S. *Raymundi* Nonnati 369.

Matres filiis mala & bona inspirant 325. *invisibilis fit latronibus orans monstra te esse Matrem* 32.

Mendicatio spiritualis apud B. V. 280.

Mensibus singulis nævum unum emendat Ioannes Berchmans 272.

Me-

Merita B. V. *quanta* 168. 196. 303.

Minimorum cura 273. 279. 352. *minima præmiat* B. V. 39.

Misericordia vide Eleemosyna

Missam dic vel audi ad honorem B. V. 269.

Mitraton seu princeps creaturarum inducit ad Regem 37.

Mors. Vt morti suorum assistat B. V. *obtinuit per assistentiam Christo nato, & passo* 35. 216. *etiam malis filiis in morte patrocinatur* 34. 35. *in morte solatium* 272. *sanguine Christi & lacte suo pascit morientes sibi devotos* 36. *utiliorne præsentia* B. V. *morituro an jucundior* 216. *in morte gaudet, quod conversaturus sit cum doctis* 47.

Mortificatio 268. 348.

N

Nasci est lumen accendi in alio 296.

Nativitas B. V. 165. *eam quæ signa præcesserint* 166. *natâ* B. V. *salus mundi inchoavit* 170. *Nativitatis quorundam omina* 166.

Natura hominis subjecta miseriis 29.

Nobilitas à virtute 324.

Nominis MARIÆ *cultus* 100. 120. *ex Ioscionis ore honorantis quinque psalmorum recitatione nomen* B. V. *rosæ quinque à morte prodeunt* 111. *floribus aliis Divinitus inscriptum* 175. *nulli fæminæ imponitur*

in Polonia, alibi & viris 183 sæpe invocanti quàm utile 182. non est imponendum impudicæ 185. in nomine MARIA rogatus nihil negat S. Gerardus, ubi de actu heroico Alexandri Alensis 258. in hoc nomine abstinens à libidine salvatur 258.
Noctu oranda B. V. 252. idq; in templo B. V. 261.
Novitiis cultum erga B. V. instillant Eremitæ S. Pauli 43. Novitii non habentes devotionem ad B. V. deficiunt 43.
Novemdiali pietate B. V. venerare 260.
Nugas fugiat filius B. V. 350.
O
Obedientia B. V. quanta 318. obedientiæ stude 352.
Odia fugiat filius B. V. 333.
Officium Beatæ Virginis orandum frequenter 105. 260.
Omina natæ prolis 166. ex configuratione stellarum 296.
Opera fac accuratè 267. 330. 338. cum intentione 60. 273. ante ea recurre ad B. V. 119. 264. cum intentione 69. uni cum operibus Sanctorum 76.
Orationum directarum ad B. V. modii varii 102. & seq. oratio non placet orta ex corde sætido 346.
Ori-

Origenis infantis pectus osculatur Pater ejus frequenter præscius doctrinæ illius 52.
Osculans primò matrem Deorum rex fit ex oraculo 52.

P

Pacta facere cum Deo 67.
Passio Christi quàm dura fuerit 233.
Pater amat filium 324. *pater vocatur, qui alium erudit ad justitiam* 323. *patris ars occidentis serpentem illæso filio, qui circa cor ejus volutus erat* 36. *per Patris cadaver vecta vico nomen vici scelerati dedit* 362. *Pater in filio, filius in Patre gloriatur*. 52.
Patiens in adversis debet esse filius Beatæ Virginis 355.
Paupertas quanta fuerit in B. V. 314.
Pax cordi sit filio B. V. 333.
Peccati omnis expers B. V. *vide Immaculata*
Perfectio omnis est in B. V. 137. *S. Petri nomen olim pro salvo conductu* 184.
Præsentatio B. V. 186.
Privilegia B. V. *duodecim* 113.
Proposita pia actuum bonorum 269. 272. 279.
Prudentia B. V. *quanta fuerit* 309.
Pueris instillandus amor erga B. V. 43. 274. *sunt ad Deum intercessores* 263. *à*

pueri, qui frequenter sacra IESV *&* MARIÆ *nomina balbutiêrat, demortui ore prodit lilium sacris his inscriptum nominibus* 176.

Pulchritudo B. V. 48. 50. 130.

Purgatorii animabus succurre 283. *earum Mater est* B. V. 284.

Purificatio B. V. 204. *quomodo ad tantam puritatem* B. V. *pervenerit, qua major sub Deo nequit intelligi* 204.

R

Raymundus Lullus totus ex amore conflatus 50.

Redemptrix nostra quomodo dici possit Beata Virgo 211.

Religiosæ vitæ felicitas & amor 30. *religiosus est in actu continuo merendi* 85. *non devoti ad* B. V. *tribulantur* 105. *non devoti ad* B. V. *deficiunt* 43. *sunt ægri charitate Divina* 335.

Rodriquez Alphonsus Soc: IESV *reprehenditur à* B. V. *quòd dixerit, amo te, plùs quàm tu me* 151. *quo sensu potuerit id esse verum* 151.

Rosarium à B. V. *institui mandatum* 306.

S

Sabbathum dica honori B. V. 255.

Salutationis Angelicæ dignitas 102. *quanti pretii sit etiam unica* 104. *anagrammatice exposita* 287.

Sangvis crucifixi panem durum tribulationis dulcem reddit 365. e latere columbæ, universalis medicina 31. sangvine Christi morientes pascit B. V. 36.
Sapientes se habiturum convictores gaudet Cercidas moriens 47.
Sarabaitæ vocantur eximentes se ab obedientia 354
Sensuum custodia 357.
Sepulchrum in capite suo facit pro cineribus Patris filius 281.
Servitæ religiosi unde dicti servi Beatæ Virginis 86.
Societas amantium dicta cohors militum, aliorumq; 79. socios noxios fuge 361.
Sodales B. V. gaudent actibus humilitatis 271. in morte 34. 45. post mortem 45. Sodales sangvine Christi & lacte suo morientes pascit B. V. 36.
Sodalitas mensæ seu Misericordiæ 260. equitum de carduo cingulum portat cum dictione Spes 25. equitum spicæ cum nomine Ama 54. Sodalitas Flagrantium 297.
Somnium de enata vite ex utero 17.
Spes quanta fuerit in B. V. 301. in illa spem suam collocant filii ejus 25. 34.
Stella in manu omen fortunæ 250. stellarum configurationem eandem habens habebit

bebit eundem cum Patre honorem 296.
Stellarium B. V. recitandi modus 112.

T

Temerarium judicium fugiat filius Beatæ Virginis 362.
Temperantia quanta fuerit in B. V. 310.
Templum B. V. aspersum lachrymis proprio purgat ore scoparum loco 257. in quovis cænobio Benedictinorum est sacellum B. V. 265. è templo Matris Deorum viva flamma semper erumpit 49.
Testamenti loco salubriter accipitur B. V. 39. testamento hæres B. V. 266. dat flagellum & crucifixum filio Philippus II. Hisp: 276. catenas, flagella, secures suis religiosis S. Ioannes de Mattha 350.
Tempus probè ordina ad honorem B. V. 345.
Thesaurus est B. V. & SS. nomen ejus 87.
Trinitatis complementum quomodo sit B. V. 141.

V

Vanam gloriam fugiat filius B. V. 330.
Venialia peccata fugiat filius B. V. 272. 350.
Vestem Codro, in qua occisus est pro patria, dans miles jactat à se illum factum esse gloriosum 135.
Victoria sui in tentatione 286. vide heroici actus.
Vincentius Caraffa mancipium B. V. 88.
optat

optat addici servitio verrendi sacelli B. V. idq; pro tota vita 271.
Virgo semper MARIA 1. 201. 315. prima Virginitatem vovit 316. Virginitas an sit optabilior maternitate Dei in Beata Virgine 193.
Virtutes B. V. oratione cole 112. 121. B. V. virtutibus plena 298. virtutibus profice 364.
Vitæ B. V. mysteria cole 117.
Visitatio B. V. 198. locorum sacrorum 295.
Vocationis amor in B. Aloysio 80.
Unio operum cum operibus SS. 76.
Voluntati Dei te conforma 350.
Votum optantis vocem: omnia in sapientia fecisti 57 Augustini tria vota 48.
Vulneris filius quis sit dictus 2.
Uxor clepsydram facit e cineribus mariti 97. bona laus mariti 24.

X Z

Xacæ Dei fabulosa genesis 93.
Xenodochii fœtor olet præ balsamo aulæ 254.
Zelus quid sit 367. zelo probatur amor 90. inducens alium ad bonum præmiatur pro meritis ejus 92. Mariomastygi alapam infligit S. Nicolaus Ep: in Concilio 264. mori non vult, ut possit honorem B. V. propagare 282. zelosus debet esse filius B. V. 367. talis enim est alter IESVS 363.

Ad M. D. G. Bq; V. M. S. L. O. C. H.